


575

XVII, 534.



PHILIPPI ME-
LANCHTHONIS

ad

DOCTOREM ALBERTVM
HARDENBERGIVM

EPISTOLÆ.

Primum nunc in lucem editæ
opera & studio


CHRISTOPHORI PEZELII
Theologiæ Doctoris.



BREMÆ,

Excudebat Bernhardus Petri.

M. D. LXXXIX.



Clariss. & Ornatiss. viris
D. DANIELI BVRENIO:
& D. HERMANNO SCHVMACHERO:
Inclytæ Reipub. BREMENSIS
Consulibus, Dominis &
amicis suis hono-
randis.

S. P. D.



EST VIRI CLARISS.
naturæ vis, is sensus in bono-
rum animis, vt amicos, quos
vera ac constanti beneuolen-
tia complexi sumus, & vivos
amemus: & mortuos charos habeamus.
Hinc & officia amicitiaë mutua inter supersti-
tes: & desiderium, ac memoria jucunda &
grata defunctorum, quoties vel ipsi, sponte
nostra, eorum recordamur, vel mentionem
eorundem honestam ab alijs fieri cognoscimus.

Nec verò dubium est, quin sensus hic
naturæ insitus, penitusq; infixus propterea sit
vt Deum agnoscamus autorem esse conjun-
ctionis animorum, quæ est in hac vita vincu-
lum humanæ societatis præcipuum: & ad
spem ac desiderium vitæ illius immortalis ac
beatæ excitemur: de qua nos recordatio ami-
corum mortuorum non sine sensu suauitatis
subinde admonet.

A 2

Nam

Nam ut σοφῶν & benevolentia in ani-
mis non extinguuntur morte amicorum : Sic
illo ipso sensu naturæ convincimur , post hanc
mortalem vitam restare aliam : In qua rur-
sum complectemur amicos ornatos luce di-
vina, & collocatos in agmen beatorum, cum
quibus, in illa dulcissima cum Deo consue-
tudine vivemus in omni æternitate, fruentes
conspectu & colloquijs mutuis, & sincera ac
perpetua animorū σοφῶν copulati erimus.

Hanc æternitatem intueamur, ad quam
conditi sumus, quoties naturæ sensus jucun-
dant & gratam nobis memoriam renouat
amicorū, qui hac mortali vita defuncti sunt.

Scio autem, Vtriq; vestrum, & amicitiam
dulcem fuisse, cum viro Opt. ac integerr.
Doctore ALBERTO HARDENBERGIO,
& recordationem memoriæ illius adhuc esse
gratissimā. Quos vicissim ille, dum in viuis
erat, alterum quidem, ut Patronum & ami-
cum summum, vera animi obseruantia co-
luit : alterum verò, ut Filium dilexit, & hono-
rifica predicatione publicè priuatimq; alijs
commendauit.

Fuit eidem D. Alberto amicissimus
PHILIPPVS MELANTHON, totius Ger-
maniæ quondam præceptor, quem & vos do-
centem olim audiuitis, & doctrinam ac
scripta eius etiānum magnificitis, & me-
moriam meritorum eius pia animorum af-
fectione colitis.

Huius

Huius ad D. Albertum Epistolas diuer-
sis temporibus scriptas, cum ante multos an-
nos amici mecum communicassent, ex auto-
graphis descriptas, honestis de causis publi-
ci tandem juris facere visum est.

Quia & hoc sine ad me missæ jam pridem
fuerunt, ut ederentur, & ego eas dignas esse
semper iudicavi, quæ lucem publicam aspi-
cerent, & lectionem harum bonis & candidè
iudicantibus vtilem & suavem fore confido.
Sunt enim testes amicitiae non vulgaris, &
consensus de doctrina Christiana: inter duos
illos summos viros. Quos non quidem desi-
nunt etiam mortuos convicijs proscindere,
qui viuos eos oderunt: Sed quos iure ac me-
ritò inter lumina Ecclesiae illius temporis ha-
bendos, & de Ecclesia Christi optimè meri-
tos fuisse res ostendit, Etiam si, ut Reuerendi
D. Lutheri verbis de Philippo Melanthonè
vitar, irascatur Satan & omnes Squamæ eius.

Ut autem Callimachus optabat in scrip-
tis suis Charites, seu Gratias abluere manus
suas: Sic mirifica inest suavitas Epistolis Me-
lanthonianis, tum propter genus orationis fa-
miliare & perspicuum, tum ob dulcissimam
suavia, quæ lectori non hebeti melle & nectare
suaviora sunt, & quasi ex Charitum manibus in
scriptiões Philippicas destillasse, videri possunt.

Sunt & historica multa istius temporis
aspera: Et lucent in Epistolis illis exempla
plurimarum

plurimarum virtutum, flagrantium in pectore Melanchthonis, cum adhuc superstes esset, Ardentis pietatis erga Deum: Cura & sollicitudinis pro Ecclesia & posteritate: Sapientiae & moderationis in dandis consilijs: Studij tuendae ac retinendae veritatis & concordiae inter docentes: Modestiae in requirendis bonorum & doctorum iudicijs in magnis causis: Candoris & integritatis in iudicandis aliorum voluntaribus & factis: Odij sophistices. Quas virtutes, si multi imitarentur, neque veritas tantoperè laboraret in tanta luce doctrinae Evangelicae, neq; Ecclesia tam tristibus dissidijs dilaceraretur, siue pertinacia tuendi anteceptas opiniones, siue malevolentia & odio aduersum rectè sentientes, siue alijs quibuscunq; pravis affectibus plurimorum.

Sed & iudicia quaedam Epistolis his inserta sunt, quae viam monstrant diiudicandi cum alias nonnullas controversias agitatae nostris temporibus, tum hanc, quae est de Eucharistia, de qua toties monet D. Philippus antiquitatem orthodoxam consulendam & cum Scripturae testimonijs conferendam esse: Aqua cum dissentiat ἀστολατρεία, id est, imaginationes de inclusione corporis Christi in panem aut speciem panis, cogitari oporteat, num licuerit Pontificijs mutare doctrinam veterem, & novas ac prodigiosas opiniones invehere

invehere in Ecclesiam: Et nūm deceat eas ob-
utrfas orbi Christiano sub Papatu, etiam nūm
retinere ac defendere in Ecclesijs Evangelicis.

Quanquā verò non difficile mihi fuisset,
plerasq; has Epistolas ad ordinem seu seriem
annorum, quibus scripte sunt, accommoda-
re: tamen quia & varietas materiārū, in hoc
genere librorum jucundior esse solet, & cuiq;
iudicium liberum relinquendum est æstimā-
di de tempore scriptæ vnius cujusq; Epistolæ,
cui ab authore aut nunquam, aut rarò ascrip-
tus est numerus anni: Retinendam eam seri-
em putavi, quæ erat in exemplari ad me mis-
so ab amicis. A quibus cū expectem plures
alias Epistolas Domini Philippi, quarum se-
lectiores peculiari opera deinceps colligere
decevi: Visum est nunc ab his ad Doct.
Albertum Hardebergium literis ordiri, vt in-
stitutum hoc meum innotesceret cū alijs,
qui fortè simile aliquid aggredi in animo ha-
bent: tūm Clariss. inprimis & Præstantiss.
VIRO D. CASPARI PEVCERO, Magni il-
lius Melanthonis genero. Quem Deus Opt.
Max. vivum speculum suæ præsentia, boni-
tatis, ac potentia, seculo nostro proposuit,
ceu Danielem alterum, in lacu leonum ser-
vatum, de quo scriptura affirmat, non fuisse
in eo repertam læsionem, quoniam credidit
Domino Deo suo, videlicet in edenda con-
fessione veritatis, & sustinendis periculis
propter cōfessionem. Huic

Huic ergo institutum illud meū vel pro-
bari, vel hac ipsa occasione excitari atq; im-
pelli eum posse opto, vt pro gravi & excel-
lenti iudicio suo, Epistolas Melanthonianas
(quas jure suo ab amicis postulare, & auto-
ritate sua impetrare facile potest) collectas,
cum φιλοφιλίωσσις, & si qua futura est, pia
posteritate communicet.

Vobis autem, Clariss. D. D. CONSULES
dedicandas, & quasi consecrandas has pagel-
las putavi, tūm quia D. Alberti Hard. &
Philippi Mel. fuistis amantissimi, tūm vt meæ
erga vos observantiæ qualescunq; extaret te-
stimonium publicum. Quod vt in optimam
partem accipiatis, reverenter vos oro atq; ro-
go. Bremæ, Mense Iunio. Anno Christi,
1589.

Christophorus Pezelius D.



REVERENDO VIRO, ERV-

DITIONE ET VIRTUTE PRÆ-

stanti D. Alberto Hardebergio Do-

ctori Theologiæ, docenti Euangelium fideliter

in Ecclesia Dei, quæ est in vrbe Brema,

fratri suo carissimo.

S. D.



REVERENDE VIR, &

Cariss. frater, Dei beneficio

adhuc in Ecclesia & Aca-

demia nostra non solum pius

consensus est omnium docen-

tium, sed etiam dulcis & non fucosa ami-

citia, teq; omnes optamus nobiscum vivere

si à Visurgi discedes. Ac si me expulerint

hostes vicini, ut moliuntur, si viam, spero

tamen nos simul vivere posse in locis pro-

prioribus patriæ meæ. Nec frangor ani-

mo, propter crudelissimam vocem meorum

hostium, qui dixerunt, se mihi non relictu-

ros esse vestigium pedis in Germania. Com-

mendo autem me filio Dei. Si solus ex-

pellar, decrevi Palestinam adire, & in il-

lis Hieronymi latebris, in inuocatione filij

Dei, & testimonia perspicua de doctrina

scribere, & in morte Deo animam commen-

dare. Studia Academiæ nostræ ostendunt

B

scripta.

scripta. Mitto agrotanti Medmanno, carissi-
mo fratri nostro, exemplū libelli recens editi,
& mitterem plura si haberem. Omnia enim
vendita sunt. Sed nunc recuduntur. Audio
τὸν βλακώδη τυφῶνα scripsisse contra hanc meā
lucubrationem suo more ἀμάξαν βυκοφαντίων.
Cum accepero, tibi quoq; mittam. Ego &
me & sententias meas iudicio tuo & omni-
um piorum & eruditorum subijcio. Histo-
rica, quae essent ἀξιόλογα nunc non habe-
bam, nisi Pannonica. Duobus locis Turcicae
copiulae non magna trucidatae sunt. Occa-
sio pugnae posterioris fuit, quod arcem pro-
dere quidam conatus est. Praefectus re prius
cognita, venientes Turcas, & repulit &
interfecit. Dimicarunt inter se fratres duo,
filij Tyranni Turcici, & utrinq; circiter
quadraginta millia Turcorum interfecta
sunt. Benè & feliciter vale, carissime fra-
ter, & rescribe. Noster Pastor iussit, ut
& suo nomine salutem tibi optem. Ego
omnium collegarum votis tibi omnia fausta
opto. 3. die Septemb.

Philippus Melanthon.

D. Alberto

D. Alberto Hardebergio.

S. D. REVERENDE vir & carissime
me frater. Vtinam quantum in aduer-
sarijs crescit rabies, tantum pietas in nobis,
& coniunctionis tuende studium cresce-
rent. Mitto tibi libellum scriptum con-
tra virulentas Staphylici calumnias. Tales
hostes communes omnium Ecclesiarum no-
strarum negligunt nostri. Tantum do-
mesticabella mouent. Sed oro Filium Dea
ut nos gubernet. Existimo Paulum Eberum
tibi de actis Francofurdianis scripturum
esse. Melius esset in Synodo de illis materijs
differere eruditos. Et hac ipsa Francofur-
diana deliberata nouas contentiones moue-
bunt, quae Synodum conuenire cogent.
Lascij voluntatem non existimo ergate mu-
tata esse, cui iam cum Vergerio certamina
erunt, qui redit in Poloniam. Ego labo-
ribus ita obruor, ut quotidie mortem ex-
pectem, & tamen inimici mei prius me
hinc expellere conantur. Bene vale, &
rescribe. Die 2. Aprilis.

Philippus Melanthon.

B 2. D. Alberto

D. Alberto Hardebergio.

S. D. REVERENDE vir, & carissimifratrater. Cum sententiæ tibi meæ de rebus maximis notæ sint, literarum breuitatem velim te boni consulere, cum quidem occupationes meas noris. Tecum inuoco verum Deum, sicut se patefecit in scriptis Prophetiis & Apostolicis, & in Symbolis. Etsi autem optarim me posse tecum quotidie colloqui, tamen cum ne fieri quidem possit, ut omnes in una urbe simus, sciamus unam esse Ecclesiam omnium, qui recte sentiunt, & simul Deum inuocant ubicunq; sumus. Postulauerant Principes Rhenani, ut Synodus conuocaretur ad oppidum Fuldam. Non potuit fieri. Qualis enim hæc species fuisset? eodem tempore Imperatorem Ferdinandum Augustæ conuentum inchoare, & hos accedere ad conuentum Fuldensem. Et Synodus docentium, nisi adessent aliqui Principes, erat futura pugna, qualis inter Cadmeos fratres fuisse scribitur. Et si quando erit Synodus, te & alios doctos viros timentes Deum adesse volo. Quod si hæc Synodus inchoata fuisset,

isset, misissem ad te peculiarem nuncium.
Nunc expectamus deliberationes Augustanas; quas ut Deus gubernet, toto eum pectore oro. Hic narratur Regem Danicum patrem ex hac mortali vita decessisse. Qua de re cum poteris, ad me scribas. In Angliam redeunt multi exules. Sed quò inclinatura sit gubernatio, nondum audimus. Breuè editurus sum responsiones ad articulos Ba-uaricae inquisitionis, quos vidisse te opinor. Hi mihi praebeant occasionem repetendi praecipuas controuersias, & respondeo ibi $\pi\epsilon\gamma\epsilon\sigma\tau\epsilon\ \beta\lambda\alpha\chi\iota\kappa\acute{\omega}\nu\ \phi\lambda\upsilon\alpha\sigma\iota\omega\upsilon\upsilon$ de Trunco. Mitto tibi pagellas, quae ostendunt utcunq; eadem esse Academiae studia, quae uidiisti. De Lascio uoluiſti me tibi scribere. Crebras ipsius accipio literas. Rectè ualeat, & non procul à Cracouia est apud amicos. Iamq; in conuentu Petrocouiensi Nobilitas Polonica petitura erat deliberationem de Ecclesijs. Sed arte, initio cōuentus oppidum incensum est, ut discederetur, nullo negotio constituto. Plura nunc scribere non potui. Benè & feliciter uale. Die Polycarpi. Comitè Christophoro des exemplum orationis de Ludonico Bauaro. Salutem opto amicis

B 3.

omnibus.

omnibus, Darieli, Medmanno, & alijs
tuis amicis, quos iudico omnes & meos ami-
cos esse.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & carissi-
me frater. Vetus dictum est, nullam esse
Harmoniam magis Musicam, quàm hæc
est animi moderatio, quæ in rectè factis,
patienter fert Sycophantias. Ad hanc Mu-
sicam nos assuefaciamus, & necessaria fa-
ciamus. Mitto tibi libellum de dyudicatio-
ne controuersie Noricæ, quem volo te lege-
re, ut censorem, & mihi significare iudi-
cium tuum. Plura nunc scribere non potui.
Benè vale. Die Brumæ.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & carissime
frater. Etsi & astra & prodigia denun-
ciant magnos motus Saxonie, tamen etiam
ante hæc tempora magnas pœnas metui,
propter mores. Vidi adfectus doctentium
& principum, vidi populi licentiam, &
disciplinam.

disciplina dissolutionem. Nunc, ut Iohannes inquit, securis arbori impacta est. Oremus autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut pro nobis intercedat apud aeternum patrem, ut poena leniantur, seruentur reliquia Ecclesiae, nec fiat Ethnica barbaries. Expecto auide tuas literas, etsi colloqui malim, & nondum spem colloquij abieci. Nam & decreta conuētus Augustani, & vicinorū mendacia tandem cogent me hinc discedere. Et migrabo non inuitus, etsi hunc cætum doctissimorum hominum, cum quibus iam annos triginta coniunctissime vixi, non libenter desero, sed quò fata trahent, retrahentq; sequamur. Colant culicem isti Flaciani, & deuorant Camelum, & tales antea quoq; impedierunt inquisitionem veritatis, & auerunt vulgi licentiam. Deus adsit nobis. Benè vale. Die 25. Augusti.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & carissime frater. Post iter tuum venerunt huc Pastores Ecclesiarum Brunsvicensis

B 4 sis,

sis, Hamburgensis, Lubecensis, Lunebur-
gensis, sint ut dicitur & arbitri inter Fla-
cium & me. Dixi me non recusare, quò
minus instituam reconciliationem. Sed vel-
le me, ut de toto corpore Doctrinae agatur.
Illi disertè testati sunt, se non venire, ut
de doctrina instituatur collatio. Tantùm
se reconciliationem tentaturos esse. Adhuc
igitur cum Flacio deliberant, quos articulos
mihi proponant. Nec certiora iam scri-
bere possum, quia nondum ventum est ad
ἐπίταξις huius actionis. De tua causa
nondum ulla mentio facta est. Te oro, ut
& significes mihi vestra omnia, & ne pro-
peres. Spero enim fore, ut plures de hac
causa in colloquium conueniant. Bene &
feliciter vale, cariss. frater. Die Ianu. 26.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & carissi-
me frater: Dei beneficio adhuc medio-
cra sunt Doctrinarum studia in hac vici-
nia. Ecclesiae etiam magis florere, si Dis-
ciplinam curarent Principes & ceteri gu-
bernatores

bernatores, qui ideò gerunt arma, ut sine
Disciplina custodes. Dirigo igitur & di-
sputationes & alia mea scripta ad consocia-
tionem harum Ecclesiarum, & ad explica-
tionem precipuarum materiarum, quas ve-
lut in κατηχίσει sciri necesse est. Et oro
Dei Filium λόγον ut ipse me & alios do-
ceat & regat. Meos dolores coràm vobis
exponam. De Bellis non libet scribere.
Vagantur pœna per genus humanum prop-
ter multa & magna delicta. Inter has
pœnas, ut seruet Deus Ecclesiam, toto eum
pectore vobiscum oro. De Carolo si quid
certi habetis, significa. Ζῶει ὁ γ' ἡ Τέθνηκε,
κακὸν δὲ ἀνεμῶλια βάλεν Bene & feliciter
vale & rescribe. Cal. Maij.

Philippus.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & cariss.
frater. Nondum despero colloquium no-
strum, quo mihi valdè opus est. Fortassis
autem propter bella rursus exulabimus, quod
si fiet, ego quidem rectà ad te proficiscar.
In quibus laboribus vixerim, multi norunt,

B S

&

Et quanquam meam imbecillitatem agnosco,
tamen hoc adfirmo, me fideliter & quasi-
uisse fontes doctrinae, & alijs monstrasse,
quantum ego quidem facere potui. Nunc
expecto exilia, aut alia magis tragica. Sed
oro Filium Dei, ut nobis & Ecclesiae leniat
erumnas. Legi tuas pagellas, quas misisti,
& probo, ac ut voluisti, lineas eius operis,
de quo scripsisti, ducere cepi. Sed Stanca-
rica controuersia impeditus sum, ne incho-
atum opus pertexerem. Mittam tibi meam
responsionem de Stancari controuersia. Spar-
git is de me venenatissimas literas. Sed
haec mala temporum nos ferre necesse est.
Oro Filium Dei, ut nos regat. Hunc no-
strum amicum Groningensem tibi commen-
do. Bene vale. Die Iohan. Baptista

Philippus Melanthon,

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & cariss:
frater. Nuncius properabat, ideo scribo
breuius. Nec tamen habebam prolixum
argumentum, quia postquam hinc discesse-
runt nostri collegae, editis condemnationibus,
Antagonista

antagonista nostri oblatam occasionem ab-
rumpendi colloquij amplectendam sibi esse
existimarunt. Ideo nunc nulli congressus
sunt. Audis haud dubie isthic in tota Saxo-
niatriumphos agi de illis bellissimis condem-
nationibus in Arcopago Amsdorffij natis.
Oro Deum, ut me ab istis Sophistis liberet.
Benè vale carissime frater. Die 14. Nouemb.
In urbe Vangionum. 1557.

Philippus Melanthon.

Saluto te reuerenter, iam prohibitus re-
scribere propter inopinatam tabellarij festi-
nationem. Salutat te etiam. M. Caspar
Peucerus.

Paulus Eberus.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & cariss:
frater. Pauca nuper scripsi non tam de
questione, in qua, consideranti vera & per-
spicua testimonia vetustatis nulla est ambi-
guitas, quàm de meo dolore ingenti. Vides
enim quantum nocuerit dissidium illud.
Confirmatus est error, & aucta insolentia
hostium veritatis. De hoc meo dolore tecum
loqui mallet coràm. Nec despero collo-
quium.

quium. Nam fortassis conuentus Augustanus pariet edicta, qua nos cogent vel noua exilia querere, vel pati duriora. Sed hac Deo commendo. Nunc respondere nostris vicinis cogor. Nam manifesta calumnia est, quod in scripto Lipsico ubi fit mentio obedientiae, omittunt vocabulum: *Gebürlichen gehorsam*/ut scriptum est in Archetypo, Etsi ne tunc quidem subscriptio addita est. Talibus artificijs oppugnamur. Et dicam aliquid de Stoica necessitate, & de Trunco. Quaeso ut huic tabellario aliquid des literarum. Benè & faeliciter vale. Die 29. Augusti.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. CARISSIME frater, Vt cum hic eras, tibi me totum aperiebam, & in sinu tuu omnes meos dolores & gemitus effundebam, sapientia & integritate tua confidens, ita nunc tecum saepe prolixè colloqui cuperem. Sed nec possunt hi sermones committi literis, nec ad scribendu tantum est ocij. Tuam illam Epistolam, cuius facis mentionem in literis recentissimis, quas
hic

hic Petrus attulit, non accepi. Nec Hen-
ricus Epistolam de qua scribis, accepit. Nec
vox Doctrinae, nec ritus ulli hic mutati
sunt, & eduntur libri utiles de toto Do-
ctrina corpore. Vicini Sycophantae
διυλιζουσι κώνωπα καταπινοντες κἀμυλον.
& iam renouant Stoicam ἀνάγκην, de quo
respondebo. Nulli hic sunt bellorum appa-
ratus. Et in Academijs, Dei beneficio,
Studia mediocriter florent. Te oro, ut
quoties habetis tabellarios certos, nobis scri-
bas. Viro vera nobilitate generis, virtute
& eruditione praestanti D. Lascio salutem
opto. Heri in caena vir nobilis Polonus ho-
norificè eius mentionem fecit. Salutem
opto inclyto Comiti, & Symmystis, Iacobo
& Iohanni. Bene vale. 30. Aprilis. De
tua suppellectile scribam ad Conradum.

Philippus.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & cariss.
frater, Scimus in hac extrema & delira
mundi senectâ maiores fore Imperiorum
confusiones, quàm fuerunt antea. Sed pe-
tamus Ecclesiam inter has ruinas regnorum
seruari

seruari à Filio Dei. Quàm tristia spectacula vidit aetas superioris anni in Germania & in Anglia. Et huic anno sidera denunciant horribiliores motus. Oro Filium Dei, ut nos protegat, & non sinat fieri Barbaricas vastationes. In hac vicinia Dei beneficio adhuc mediocria sunt Doctrinarum studia, ut pagella ostendunt, quas mitto. Te oro, ut libellum, cui titulus est, Examen, legas tanquam seuerus censor. Quaedam intexui $\pi\epsilon\sigma\iota$ $\tau\omicron$ $\lambda\omicron\gamma\omicron\upsilon$, De tantis rebus colloqui tecum cupio. Et me fortassis huius anni tumultus hinc expellent. Bene & feliciter vale & rescribe. Calendis Martij.

Philippus.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & cariss. frater. Gratiam tibi habeo, quòd ad nos interdum scribis, teq; oro, ut donec colloqui possimus, literas mittas. Nec deerit tibi meum officium in eo genere. Dei beneficio in Ecclesijs nostris nondum facta est ulla mutatio. Et mediocria sunt in Academijis studia doctrinae caelestis & aliorum artium. Etsi autem sperant aliqui posse

posse obtineri, ne duriora imperentur, si de
vestitu, & cibis, aut similibus nugis non
pugnemus, tamen quid futurum sit, tempus
ostendet. Mihi nunquam placuit rixari
de parvis rebus. Sed magno in dolore &
fui annos decem & amplius & adhuc sum,
quod inquisitio Doctrinae necessaria impedi-
ta est. Propter quam causam nunc etiam
nos plecti, utinam multi agnoscerent, &
vera inuocatione Dei in fiducia filij, petere-
mus auxilium. In Suevicis Ecclesijs pel-
luntur Pastores, & fit solitudo, ac multis
locis nulli sunt congressus in templis. Talis
est Reformatio, quam iactitabant factu-
ram esse aureum seculum. Bene vale &
rescribe. Die conuersionis Pauli. Inclyto
Comiti Alberto salutem, & fausta omnia
opto.

Philippus Melanthon.

Crucigerum Deus in Scholam caelestem
abduxit.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & amice
cariss. Adiunxi Epistolae ad Comitem
scriptae literas, in quibus tibi respondeo.

Nec

Nec libet prolixè eandem narrationem repete-
tere. Tantum te oro, ut in iudicando
ἐπιμενεῶν adhibeas, præsertim cum confessio
nostra nota sit omnibus. Nam in Ecclesijs
nostris eadem vox Evangelij sonat, quam
audiuisti, & scribimus in nostris lucubra-
tionibus eadem, & in administratione
Cæne Domini nulla facta est mutatio. Nec il-
lud Poëma aulicū delet nostram confessionē,
ubi quedam inserta sunt, quæ non sunt
nostra. Cur toleratis, inquires, cur non
opponitis scripta? Scio hæc duriter dispu-
tari posse. Sed nolo harum regionum Ec-
clesias turbari, quæ si Pastores pellerentur,
prorsus fierent vastæ, ut ad Rhenum, &
ad Neccharum accidit. De Adiaphoris
ideo minus contendimus, quia alia maiora
certanū sustinemus, de Missa, in quibus uti-
nā nostri nō stabilissent neruum Pontificiorū
errorum & Pontificiæ potentie. Præterea
alioqui retenta sunt Adiaphora pleraq; in
nostris Ecclesijs. Obsecro te, concordiam
inter nos tueamur, nec propter Adiaphora
inter nos ipsi dimicemus. Benè & feliciter va-
le. Omnino colloqui tecum decreui. Die 29.
Martij.

Philippus Melanthon.
Eidem

Eidem.

S. D. REVERENDE vir & cariss.
frater. Deo gratias ago, quod vos defen-
dit, eumq; toto pectore oro, ut Ecclesia ve-
re opem ferat, & seruet sibi inter nos semen
aliquod sanctum. Principibus cur semper
timuerim, ac nostro presertim, non igno-
ras. Et quanquam magno in dolore sum
propter ipsorum & nostram calamitatem,
tamen propter Doctrinae & Xpianitas in ali-
quibus materijs magis doleo, quas ut Deus
explicet, toto eum pectore oro. Atq; uti-
nam aliqui pij doctores colloqui possent. Se-
cuturam arbitror mirandam conuersionem
rerum Germanicarum, in qua prodesset ve-
re concordēs esse doctores Ecclesiarum no-
strarum ubiq;. Ego hic, ut in hybernis nunc
sum. Certam sedem nondum habeo. Nec
procul fugere decreui. Te autem oro, ut
scribas. Franciscus Hispanus vir optimus
& integerrimus Basileæ est. Opinor ab ipsa
refutationem Decretorum aliquot Synodæ
Tridentinae compositam esse, cuius exem-
plum an videris, nescio. De filio Iohannis
Amsterdami scripsi ad collegam vestrum.

Quæ

Quæso pugna, ut studia adolescentis iuuentur liberalitate collegij. De conuentu Augustano hæc erant recentissima: Duæ res præcipuè aguntur. Imperator petit, ut Principes de Synodo dicant sententias. Hi petunt nouam institui, & adhiberi nostrarum Ecclesiarum doctores. De fœdere etiam agitur, quod opinor ab Episcopis peti, ut mortuo Carolo Imperatore habeant defensores. Et rex Ferdinandus communire se uelle uidetur. In Italia, postquam interfectus est Aloisius, filius Pauli III. Rom. Pont. Carolus Imperator occupauit Placentiam. Ea res existimatur novos in Italia motus paritura esse. Te etiam atq; etiam oro, ut sæpè scribas. Benè & feluiter uale, cariss. frater. Die omnium sanctorum.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & cariss. frater. Scio aliquot Principes valdè petere, ut docti colloquantur. Idq; Ecclesia petit. Et quanquam illi impediunt, qui iam non proculà Lubeca decreuerunt, se non adituros esse, ullam aliorum Synodum, tamen rerum magnitudo
poscet

poscet, ut privato officio aliqui conveniant, & consensum de multis rebus constituent, quod spero & fieri posse, & Deo iuvante profuturum esse vera Ecclesia. Cur enim sinimus impediri recta consilia praedictis, nescio quorum. Iam edet libros contra me de Stoica necessitate Nicolaus Gallus, qui Ratisbone est. Vbi videro, Deo iuvante respondebo. Te autem oro, ne properes ad certamen cum collegis. Oro etiam ut multa dissimules. Precatione ad Filium Dei primum nos armemus, & in tantis natura, rerum, & hominum, & imperiorum perturbationibus constanter agamus: & petamus, ut Deus nos gubernet, & servet Ecclesiae reliquias, & eius vulnera sanet. Ante duos menses quidam Lituanus & Serueticas reliquias ex Italia attulit, quem etiam refutare capi, Bene vale. & rescribe. Die Georgij.

Phillipus Melanthon.

Domini consulis Filium commendavi viro erudito Antonio Valtero, qui prodesse & ei in exercitio styli poterit. Et hoc magis expetebat Adolescens, quam ut mox sine his exercitijs tantum Iuris

C 2

lectiones

lectiones audiret. Et volo tamen, ut Institutiones Juris audiat. Salutem patri & vobis omnibus opto. Bene vale.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & cariss. frater. Hæc cum scriberem circa Vernū AEquinoctium, concurrebant multa terribilia signa: Coniunctio Saturni & Martis, & simul Cometa, cuius cauda directa erat in Belgicum. Cum igitur impendeant & Bella nova & dissidia doctrinarum, petamus ut Filius Dei nos gubernet. Tuas literas & obtestationem memini, & cogito in ea Synodo quam expectamus, cum pijs & doctis de re tanta loqui. Vides enim quales sint quorundam clamores: Inter quos nostra vox non auditur, nisi adsint pijs & docti convulsivores. Sed hæc coram, ut spero. Hunc Nyssium commendabis illustri Comiti Christophoro. Preceptorem Danieli attribui doctū virum, qui mecum fuit annos amplius tredecim. Bene vale.

Philippus.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & cariss. frater. cum nec obscura, nec parva sint Ecclesie vulnera multos annos & ingentem & assiduū dolorem

dolorem animo circumfero. Ac maius & tri-
stius prodigium esse iudico in his, qui nō sunt
indocti, rabiem contra veritatem, & mani-
festas *κολακκίας*, quā sunt Cometae, aut
monstruosi partus. Et tamen haec signa etiam
mihi dolorem augent. Existimo & vos con-
siderasse Cometam, qui hoc Martio conspe-
ctus est. Nos primum vidimus die 5. Mar-
tij, cū vicinus esset stella quae *πρωτογυνητις*
nominatur, in Astraea, quae significat do-
ctrinas & Leges: Inde rapido motu ascen-
dit ad Arcturum, postea ad minorem Ursam.
Inde longius ad Septentrionem vehebatur.
Caudam Belgicum intueri iudicavimus. Ac
eodem tempore fuit Saturni & Martis con-
iunctio. Ita ante mortem Philippi patris Ca-
roli Imp. concurrerunt & coniunctio Satur-
ni & Martis & Cometa. Vestrās considera-
tiones velim te etiam nobis significare. De
ceteris rebus scribā, cū audiero, an proce-
det conventus Principum Germanicorum, in
quo si erunt deliberationes *πρὸς Σύνοδον*,
omnino ero hortator, ut te quoq; Principes
aliqui accersant. Bene vale. Die Cæna in
Bethania. Philippus.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & cariss.
frater.

frater. Vtrumq; vox diuina prædixit, & fore in hac languida, & delira mundi senectate maiores generis humani confusiones, quàm fuerunt antea: Et tamen filium Dei certò etiam inter has Imperiorum ruinas sibi collecturum esse æternam Ecclesiam. Itaq; & præparemus animos ad ferendas communes calamitates, & hac nos consolatione erigamus, quòd filius Dei certò colligit Ecclesiam in his ipsis nostris cætibus sonantibus Euangelij vocem, etiamsi magna est infirmitas. In hac cogitatione magis etiam mihi leniuntur mei dolores, cum intueor passim familias pias, & in his adolescentes, in quibus & indoles bona est, & semina sunt virtutum à Deo mentibus eorum insita. Talis est Elardus Hofman Bremensis, cuius & natura quida & capax est doctrina, & mores adeò modesti sunt, ut esse eum domicilium Dei existimem. Quare & Parentibus talem filium, & tibi talem amicum gratulor. Oro autem te, ut etiam meo nomine parentibus sis hortator, ne desint filij studijs. Nondum despero colloquium nostrum. Ideo de dogmatum controuersijs iam non scribo. De bellis ne libet quidem scribere. Sed tecum oro vuis gemitibus filium Dei, ut Ecclesias &

nos inter aras suas regat & seruet. Respon-
sionē ad Balticam Gorgonem editurus sum,
cum redibo Wittebergā. Vides moueri magna
certamina de personis Diuinitatis, & singu-
larū proprietatibus, de quibus mitto tibi que-
stiones. Benè & feliciter vale, & rescribe.
Argelia. Die 26. Octobris. Philippus.

Eidem,

S. D. REVERENDE vir, & carissime
frater. Senis huius tabellarū opera mihi per-
grata est. Libenter enim tecum quotiescumq̃
possum quasi colloquor, Et fortassis aliquando
post, coram colloquemur, vel in tua vicinia,
vel in mea patria. Iam enim expectatur edi-
tio censurae Turingice seu potius Βλακικης,
de multis doctrine partibus, περι αυάγνις
στωκικης, περι αςτολατρηας, περι αυτινο μων, ubi
necesse erit me respondere: quod faciam Deo iu-
uante plane, sed cōmunicatis sententijs cū pijs &
doctis. Pub. tranquillitatis causa hæc certamina
hactenus defugi, quātum potui. Sed postquam
irritare me inimici non desinunt, & errores
cumulant, necesse est me testimonia mei iudi-
cij relinquere, quod volo congruere cū vera
Ecclesia, id est, cum pijs & doctis omnibus.
Benè vale. Die 20. Iulij. Phil.

Eidem

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & carissime frater. Ex Pannonia tristiores quærelæ de disidijs doctiū regi ἀστολατρείας scribuntur, quàm de Turcico bello. Crescunt & in Polonia de eadem re certamina. Ac omnino colloqui eruditos oportebat. Sed repugnant in gynecais & in aulis indocti, qui veras deliberationes impediunt. Oro autem filium Dei, ut propter suam gloriam Ecclesiæ opem ferat, & gemitus nostros exaudiat. Utile esset edi communes præmunitiones contra Serueti reliquias, & contra Stenckefeldium & Thammerum, Item regi ἀστολατρείας Harum graviss. rerum explicatio negligitur. Interea repetuntur sine fine rixæ de linea veste. Scripsi ad amicos quosdam tibi bene notos de colloquio. Horum expecto literas. Nam commune decretum fieri vellem. Nequaquam velim te in concionibus pugnare. Sed si ceteri suggillant, potius discedendum censeo, quàm cum indoctis & rabiosis rixandum. Si de migratione cogitabis, coràm nos colloqui velim. Benè & feliciter vale. Die 27. Octobris, quo meus pater vir optimus

ante

ante annos 49. placide ex hac vita decessit.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & carissime frater. Accepi & eas literas, quas seni vestro tradidisti, & alteras, quas Vitus Iuriconsultus Medici filius attulit, & tibi gratiam habeo de assiduitate, quam in scribendo praestas. Sed velim te in optima causa, tranquilliore animo esse. Ego haecenus nec distractiones maiores, nec dissipationes mea fuga facere volui. Sed auide & tranquillo animo expecto exilia, sicut & ad Principes scripsi. Dixerunt adversarij, se perfecturos esse, ut non sim habiturus vestigium, ubi pedem collocare possim in Germania. Utinam hoc cito perficiant, ut filius Dei ad Iudam dicit. Erit mihi vel in caelo vestigium morienti: vel si vitam in hoc corpore apud honestos & doctos viros, vel in Germania vel alibi. Ac stultitiam inimicorum miror, qui sese Dominos Germaniae esse existimant, & me his minis terreri. Te quoque oro, ut sinas illos triumphare, nec a moderatione tua discedas. Deus dabit occasionem explicandae

C S controversiae,

controuersia. In congressu Phorcensi nihil
actum est præter ea, quæ in pagellis recitan-
tur, quas mitto. De conuentu Augustano,
tunc deliberabimus, cum res poscet. Nec ar-
bitraris Principes huius controuersia menti-
onem admissuros esse. Et optarim, ea de re
doctos audiri. Deniq; te oro, ut tranquillo
animo expectes ea, quæ Deus nos & agere &
sustinere uolet. Commendemus Deo uiam,
in quam nos uocauit, & precemur eum, &
ipse faciet. Bene uale. Die 14. Nouemb. quæ
est mēsis kasseu, id est, ὠρίωνος. Ita sapiēs
uētustas mēsibus nomina tribuit à sideribus.
Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. REVERENDE VIR, & carissi-
me frater. Quod existimas tuos inimi-
cos me sibi adiuncturos esse, longè falleris.
Magis hoc agunt, ut me opprimant, quàm
ut te pellant. Incitantur aduersum me Re-
gum & Principum animi, cum quidem ni-
hil ediderim contra ipsorum sententias. Iam
meus Thersites censurâ scribit contra me de
multis doctrinæ partibus, ac præcipuè tuetur
την ἀστολατρείαν. Necessè igitur erit me re-
spondere, quod faciam in eo loco, si uiuam,
ubi

ubi me non impedient aula. Ac Deo iuvante
Apologiam edam, quam spero p̄ys & doctis
gratam fore. Sum eò tranquilliore animo,
quia manifestum est, me & p̄ acis studiosum
fuisse, & moueri hæc certamina ab inimicis
odio mei, non studio veritatis. Oro autem fi-
lium Dei, ut Ecclesiam & me gubernet. Si
vellem aulicis presidys pugnare, non deesset
mihi consilium. Sed me Deo cōmendo, quem
precor, ut & Danieli & Medmāno animo-
rum & corporum vires confirmet. Te oro
ut mihi scribas, quoties habebis tabellarios,
quorum probas fidem. Benè vale. Die
20. Februarij.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. R E V E R E N D E vir, & cariss:
frater. Etsi multi amici, viri prudentes in
ripa Rheni, dissuaserunt mihi reditum ad
Albim, redij tamen seu fato, seu quia post
mortem uxoris me recessse est heredibus
meis tradere quantulumcunq; est, quod
eis dare possum. Sed exilia noua expecto.
Fuit in vrbe Vangionum mecum, ille tuus
discipulus, quem cum viderem muta-
tum, gemens dimisi sine longiore dispu-
tatione

ratione. Nec mirum est frangi animos
eorum, qui non sunt confirmati vetustatis
sincera testimonijs, cum vident sibi cum tā-
ta multitudine & potentia dissentientium,
imò & cum fortuna pugnandum esse. Mitto
tibi formulam scriptam, cum ex urbe Vangi-
onum discedremus, ut occurrerem Sycophā-
tis qui venenatissimas fabellas spargunt, in
qua, cum videas, quantum paci consulere
inter nostros studeam, te quoque oro ut & pa-
ci & bonorum infirmitati feruis. Quam-
primum erunt tempestates mitiores, tecum
colloqui decreui, nisi prius discedere hinc co-
gar. Fortassis & mors me citò ad tranquil-
liorem Ecclesiam dimittet. Non enim plus
vno anno ab eo climacterico absun, qui plu-
rimis vitæ corporum meta est. Ac profectò
auide illius Academiae caelestis sapientiam
expeto & expecto, in qua coram adspiciemus
ea, quae maxime cognoscere cupimus. Inimici
mei iactarunt se expulsuros esse me ex tota
Germania. Tantum potentiae se habere pu-
tant. Ego & ex Germania & ex hac vita
discedere, cum Deus volet, non recuso. Sed
errant illi ardeliones, si se dominos Germa-
niae uniuersae esse existimant. Scriberem
plura

plura, nisi scirem multos insidiari nostris li-
teris. Bene & feliter vale, & rescribe. Die
Stephani.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. R E V E R E N D E vir & cariss.
frater. Heshusius adhuc Heidelbergæ hæret
& triumphat, quod Antagonista discessit,
qui τὴν ἀγτολατρείαν taxauerat. Adiungit se
τῷ βλακικῷ θυρ φετω, Eius generis applausus
ut habeat, palam me criminatur τῶ ἀγαθῶν
τοὺς ἄλλας, καὶ τῷ τραπεζῶν. Sed commendo
Ecclesiam, & nos in ea filio Dei. In hac vi-
cinitate, cum Stoici nostri contendunt omnia
necessario fieri, tamen bona opera negant
necessaria esse. Tales ineptie dicuntur verè
βλακώδεις, gementibus doctis & pijs, quo-
rum multi tamen aperte pugnant. Heri se-
natui cuiusdam oppidi nisi dijudicationem
amittarum controuersiarum de quibus ibi rix-
antur quidam præstigiatores. Amisimus
collegam & amicum, virum excellentem in-
genio, eruditione, & virtute, Iacobum Mi-
lichium, cuius mors mihi & alijs magna
dolorem affert. Sed oro filium Dei, ut pub-
licas & priuatas calamitates nobis mitiget.

Pagellas

Pagellas de funere mitto, quarū unam Do-
mino Petro Medmanno viro integerrimo
mittas. Bene vale, & rescribe. Die 14. No.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. Ex tuis literis intellexi Medmannū
ad accersendum D. Bucerum eo ipso tempo-
re profectum fuisse, quo tabellarius noster
Spira discesserat. His, si iam apud vos sunt,
hortator esto, ut mihi aliquid de præcipua
cōuentus Historia, nō de parergis significant.
Hic Dei beneficio tranquillitas est. Nunc
autem non eō tantum tibi scribendum esse
duxi, ut hunc Christophorum auditorem &
amicum nostrum tibi commendarem, qui
tantum videndi cōuentus causa istuc pro-
ficiscitur, sed etiā quia post tuum discessum
hic legatio Brunswigæ ciuitatis fuit, de qua
exponenda quedam tibi esse duco, quæ ad te
pertinent. Petit, eaciuitas indicari sibi virū
idoneum, cui tradant summam Ecclesiarum
gubernationem κίεπισκοπήν. Quasiuis
multos & in his tui mentionē fecimus. Le-
gatis consilium nostrū de te præficiendo suis
Ecclesijs placebat. Sed de lingua dubitabant,

quam

quam dicebam emendatam esse Moguntia.
Etsi igitur te absente nihil constitui potuit,
& nos nesciebamus, an te aula retentura es-
set, tamen si in has regiones redeundū esse
putabis, ne te aula retinet, spero Brunsvi-
ga tibi locum fore. Quod autem absenti
consilium dedi, idem nunc do, ut aperte &
ingenuè cum D. Buchelio & Medmanno &
M. Bucero de tuis rebus omnibus deliberes.
Horum prudentiam & fidem scio tantam
esse, ut tibi utilia suasuri sint. Et ingenij
vim in Buchelio iam animaduertisse arbi-
tror. Priorem Augustiniani collegij, ho-
spitem vestrum & tue literæ & alij mihi
predicant. Gaudeo sonare etiam Spira vocē
Euangelij filij Dei, & ipsi Priori hunc animū
gratulor, eiq; opto ut Deus δαμνησῶν τὸ βέλαιον
ut Paulus inquit, confirmet & regat eum.
Christophorum nostrum deduces ad Med-
mannū, nihil petit, nisi ut in ea loca ducatur
per occasionem, ubi videri Princeps pos-
sit. Nihil est insidiarum aus μαχαναταιων
Benè vale. Die Martij 25.

Philippus Melanthon

Eidem;

Eidem.

S. D. CLARISSIME Domine doctor,
Duces Pomeranici à nobis petiuerunt, mitti
in Academiam suam virum idoneum ad The-
ologicas & lectiones & disputationes. Res-
pondi me ad te scripturum esse. Habes certum
& honestum stipendium in Academia Grips-
waldiana, si eo proficisci voles. Quae igitur
ut cum D. M. Buccero deliberes, & re de-
liberata mihi respondeas, an sis Gripswaldiam
uenturus. Meo iudicio tuis rationibus &
studijs vita Academica maxime congrueret,
& de studijs ac Ecclesia bene mereri in mi-
nere docendi posses. Expecto à te planum
responsum. Bene vale. Die 21. Augusti.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir & carissime
frater. Semper ita iudicavi secuturum esse
ingens bellum post illam victoriam Caroli,
quae mouit Rempub. non constituit. Et fax
belli futuri est, illa Sophistica religionis de-
prauatio, edita in conuentu Augustano. Vr-
get igitur ira Dei multas gentes, quam ut
filius deprecator leniat, toto eum pectore oro.

Quicumq;

Quicumq; me casus oppresserit, aliquammi-
hi leuationem adfert conscientia recte vo-
luntatis, quod & veram & explicatam
doctrinam iuuentuti tradere conatus sum,
cum quidem magna esset opinionum varia-
rum confusio. Si viuam, tecum loquar co-
ram de pluribus controuersis. Nam &
Osiander noua deliramenta gignit. Te oro
& ut nostra amicitie sis memor, & ut
scribas ad me, donec colloqui possimus. Etsi
enim non possumus complecti literis ea, quae
maximè vellemus, tamen consuetudo scri-
bendi beneuolentiae significatio est. Bene &
feliciter vale. Die 14. Nouemb.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. Iacta curam tuam in Deum, & ipse
te enutriet. Hanc arcem teneamus, in hoc portu
acquiescamus, nec frangamur animis, cum au-
la nos negligunt. Si non videtur usura aula,
tua opera, inuenies aliam honestam conditio-
nem. Et vides quantum sit certaminis futu-
rum cum capitulo. De Brunsviga, si Medle-
rus eò non migrabit, & non discessurum
esse ex Thuringia arbitror, adnit ar, ut ha-
beatur ratio tui. Certè mea officia tibi non

D

decerunt.

deerunt, si redieris. Conuenientum tamen &
aulas uidisse eò prodest, quia cum miserias illas
videmus, discimus magis amare hoc no-
strum vitæ genus Scholasticum sincerius, &
admonemur ut maiore cura Deum oremus,
ut Politias ipse gubernet. Nisi enim Do-
minus custodierit ciuitatem, frustra vigilat,
qui custodit eam. Hic Dei beneficio tranquil-
litas est, & ut sit diuturna, faciat Deus
eternus pater Domini nostri Iesu Christi.
Sed doctum & pium virum ex hac nostra
Academia in cælestem Academiam euocauit
Deus M. Martinum Frisium. Richuino des
hanc pagellam. Bene vale. Pridie Cal. April.
Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. R E V E R E N D E vir & carissime
frater. Hæc Epistolam cum scriberem die 29.
Maij, quo ante annos centum & sex Con-
stantinopolis à Turcis capta est, multa cogi-
taui de furoribus doctium & gubernato-
rum, qui similes pœnas attrahunt Germania.
Precor autem filium Dei, ut propter suam
gloriam, seruet inter nos Ecclesie reliquias.
Adhuc sunt captiui, Pastor Ecclesie Ienen-
sis, & Victorinus, duo modestissimi viri,
Pastor

Pastor etiã senex est. Edit iã Sarcenius condẽ-
nationes similes Gorgoni VVimariensi: Ego //
quanquam senex, tamen exilium & opto &
expecto. Interea dum hic sum, Deo iuuante,
adolescentibus vtilia tradam, & eam mode-
rationem, qua hætenus vsus sum, excutẽ
mibi non sinam. Mitto tibi pagellas, que
ostendunt non solum Academia studia, sed
etiam meos dolores. Est hic nobiscum Hun-
garus, qui triennio fuit Diaconus Constã-
tinopoli, ac multa de Ecclesijs in Asia nar-
rat. Leguntur ibi quoq; scripta nostrorum
conuersa in græcam sermonem. Deus illis
& nobis opem ferat. Benè vale cariss. frater.
Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & cariss.
frater, Quoties audio profecturum esse hinc
ad vos seu Scholasticum, seu nuncium, lite-
ras ad te mitto. Fabellam igitur de meo silen-
tio contemni à te velim. Sed profectò scribe-
rem ad te prolixius, si non metuerem inter-
cipi literas. Vides quàm sint in me intenti
βλαμμοί, quanta sit odij iniusti crudelitas,
quod unde sit ortũ & ad quem finẽ referatur

D 2

ab eis

ab eis, prorsus ignoro. Tibi etiam inimicos
esse legimus scriptis τῶν ἑλλήνων. Qui fuerint
amplius triginta annis mei labores, quae in-
tolerandis quorundam ineptiis, animi mode-
ratia, multi sapientes viri norunt. Me igitur
et Dei bonitate, et voluntatis meae con-
scientia, et iudiciis honestorum virorum,
aduersus Sycophantias consolor. Quod vis
à me formam verborum scribi, Paulina est
commodissima, et minimum habet periculi.
Panis est ἡ οὐσία τοῦ σώματος. Non ait, ut Osi-
ander dicebat: Panis est Deus, sed est illud quo
fit societas cum corpore Christi. Vides quibus
verbis in Examine usus sim. Vellem autem
in communi deliberatione eruditorum explica-
ri rem tantam. Ac nunc ex Francofordia ami-
corum literas expecto. Ac tibi quam primum
significabo, quid illi scripserint. Bene vale,
cariss. frater. Die 14. Septemb.

Philippus,
D. Alberto Hardebergio.

S. D. Post Saxoniorum Legatorum abi-
tum venerunt huc Megalburgenses legati:
qui multo duriores conditiones pacis tulerunt.
Respondi: malle me palam interfici, quam
talibus decretis iugulari. Oro autem filium
Dei,

Dei, ut ipse, qui est λόγος aeterni patris vi-
uens, opituletur veritati, quam ipse patefe-
cit. Si procedet colloquium, quod Mense Au-
gusto VVormatiae instituendum est, necesse
erit etiam τῆς ἀστολατρείας mentionem fie-
ri. Ad id tempus velim te adesse: teq; oro,
ut cum videas, quanti sint impetus hominū,
illum conuentum expectes. Benè vale. Die
9. Martij.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir & cariss.
frater. Cum in manibus haberem duo scrip-
ta edenda, alterum περὶ λόγου contra Litua-
num, qui Serueticas blasphemias reuocat,
alterum contra Cynicum Pragensem de in-
uocatione mediatoris, ecce adfertur Illyrici
liber, in quo repetit omnes priores criminati-
ones, & fert conditiones pacis. Deo iuan-
te edam tres responsiones his diebus. Scripsit
etiam Illyricus me, quia tibi sim amicus,
non preliari περὶ ἀστολατρείας. Et tamen
ipse quid sentiat, non dicit. Oro autem fili-
um Dei, ut nos gubernet, & seruet Eccle-
siae suae reliquias, & reprimat Sycophantas,
qui vulgi plausus captant, non querūt veri-

D 3

tatem.

tatem. Te oro, ut per hunc tabellarium mihi
scribas. Consuli Danieli salutem opto. Dei
beneficio filius honestè vivit & discit. Bene
vale, Die 7. Septemb.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & carissi-
me frater. Pagellam tuam accepi περί λόγου,
tibiq; pro hoc officio gratiam habeo, quòd de-
scribendi labore te onerasti. Res eadem in
multis libris repetita est, & si quis secus sen-
tit, non intelligit, an existimet τὸν λόγον
ὁφισάμενον εἶναι. Scripsit ad me etiam tuus
amicus Rodolphus Epistolam insuavem, in
qua περί τοῦ πανταχῶς disputat. Si vester cō-
ventus procedet, maioris discordia initium
erit: ac optarim te abesse ab eo certamine,
in quo non servabitur illud Platonicum,
δὲ ἰδμάζειν οὐ πλεῖσι ἀλλ' ἐπισήμῃ. Tuum
hospitem Davidem salsis ironijs usum esse
iudico, cum ea dixit, quae narras. Oro autem
filium Dei, ut nos omnes protegat ac guber-
net, & sit βασιλεὺς ἁγῶν Ecclesiae. Scri-
berem plura, nisi dolore impediret. Bene
vale, Die 3. Aug.

Philippus.

Eidem.

Eidem.

S. D. Nec doctrina nec rituum in Ecclesia nostra mutatio ulla facta est, ac iniuste faciunt Vicini, quod Ecclesys nostris alioqui maestis augent dolorem. Sed ut spero illos adolescentulos Oratores refutabo, praesertim cum certamina moueant, de quibus dici plus prodest quam de linea veste. Ego me voluntatis meae conscientia, in hac tota causa quae iam annis triginta agitur, consolor. Non moui ulla noua dogmata: Sed cum essent mota, quaedam ex magna caligine & confusione opinionum mediocriter euoluere studui, & existimo eum tibi laborem probari. Meministi etiam gemitus meos de quibusdam negotijs. Sed hanc commemorationem omitto. Beneuolentiam inter nos perpetuam esse volo, ac literas iam à te expecto, & flagito. Si illi qui in me debachantur, veritatis explicationem pie quaerent, valeret aliquid apud eos memoria veteris amicitiae, nec tanta acerbitate in nos seuirent. Adficerentur etiam misericordia nostrarum Ecclesiarum. Sed haec alias. Salutem opto D. Iacobo, Iohanni, & ceteris amicis. Bene & feliciter vale. 4. Non. Maij.

Philippus.

Eidem.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & carissi-
me frater. Cum esset magna dissimilitudo
opinionum ante Annos ferè triginta, inspe-
ctio Ecclesiarum præbuit mihi occasionem e-
dendi summam doctrina ita recitatam, ut
multæ controuersie dijudicarentur, & mon-
straretur forma orationis propria in multis:
Eam rem profuisse ad coniunctionem qualẽ-
cunq; Ecclesiarum existimo. Illi autem vul-
neri, quod adhuc præcipuè lacerat Ecclesias,
mederi non potui. Et ut in agro corpore,
non omnia mouenda esse cogitabam. Utinam
autem multi studerent & fouere teneras Ec-
clesias, & utcunq; tueri coniunctionem. Sed
videmus quosdam captare undiq; occasiones
faciendi maiores dilacerationes. Si nomina-
tim contra me scribent, vel ut Stoïca delira-
menta propugnent, vel ut ἀγρολατερίαν
confirment, decreui, Deo iuuante de his ma-
ximis rebus explicatè respondere, si uiuam.
Et libenter senex exilia suscipiam, ut libera-
tus ex hoc ergastulo, ad precatationem & ad
studia plus habeam temporis. Post Franco-
fordiensem mercatum plura ad te scribam,
quò cum iam proficisceretur meus gener, ut

Eidem.

meum

meū fratrem germanū, & alios quosdā viros
doctos alloquatur, dedi ei literas ad Lascium,
qui tranquillum hospitium Francfordie ha-
bet. Scripsi ad eum, eodem argumento, quo
iam ad te scribo. Mitto pagellas meo more.
Benè vale. 21. Aug.

Philippus Melanthon.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. REVERENDE vir, & cariss. frater.
Dei beneficio nulla prorsus adhuc mutatio
vel doctrinae vel rituum in nostris Ecclesijs
facta est. Studia etiam Philosophica hīc me-
diocriter florent. Et ferè singulis septimanis
usitato ritu commendatur ministerium ali-
quibus, qui in alijs Ecclesijs docebunt. Ex
hac ipsa voce & Ecclesiae specie publica poti-
us de nobis iudicate, quam ex pagellis, quibus
quaedam inserta sunt, quae non sunt nostra.
Sed tamen de Adiaphoris non valde pugna-
uimus, quia scis pleraq; retenta esse ex veteri
more in nostris Ecclesijs. Non fuit igitur
rixandi causa. Sed de alijs maioribus rebus
magna & sunt & fuerunt & erunt certa-
mina, praecipue de oblatione. Aulici vocife-
rantur, nisi vel in medijs rebus obtempere-

D S

ms

mus, Imperatori missurum exercitus in has
regiones, qui vastent Ecclesias, sicut in Sue-
uia vastatae sunt. Aiunt non necessarijs re-
bus non esse tantas calamitates ascersendas.
Sumus igitur minus duri in illis medijs re-
bus, quarum pleraeq; nondum sunt in his ter-
ris abolita. Sed de oblatione impetratum
est ab Aulicis, ne operetur Ecclesia instau-
ratione sacrificij Pontificij. Qua de re eo dif-
ficilius est certamen, quia nervum stabilie-
runt iam olim nostri Doctores, quod scis
nos saepe gementes, & lachrymantes deplo-
rasse.

Post Scripta.

Comes Albertus scribit me à Iulio pecu-
nia corruptum esse. Hanc falsiss. calumniam
refutare possum ipsius Iulij & totius Aule
testimonio; teq; oro, ut me excuses. Deo iu-
uante, constantiam prestabo in confessione
necessariae doctrinae, ubicunq; ero. Spero me
tecum breui collocuturum esse. Dicas Comi-
ti adeo non mutatam esse doctrinam in hoc
Oppido, ut nunc Typographi edituri sint
tomum lucubrationum Lutheri optimarum,
qui continet Enarrationem in Psalmos &
Prophetas.

Prophetas. Exemplum mittam. Vosq; oro,
ut si in hac seruitute non fecimus omnia,
qua vos in libertate facitis, misericordia
nostri adficiamini, non augeatis nostros do-
lores falsis criminationibus. Scio qualia sint
iudicia multorum. Et alij alias causas suae ve-
hementiae vel iracundiae habent. Te & tui si-
miles, doctos & sapientes viros decet fouere
nostros cœtus, ne inter nos tanquam Cad-
mai fratres dimicemus. Benè & feliciter va-
le. Die 18. Martij.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & carissi-
me frater, Quod inclytus Comes mihi hos-
pitium offert, & debeo ipsi & habeo gra-
tiam. Sed nunc non exilium tantum, sed
etiam mortem expecto. Nam hic annus cli-
maëtericus in hoc æstu valde languescit
corporis mei vires antea quoque multis æ-
rumnis debilitatas. Cedam autem libenter
ex horum temporum Sophistica. No-
stri inimici audacissimè negant hanc pro-
positionem: Bona opera necessaria sunt.

Et

Et citant dictum ex secunda Epistola ad Co-
rinth. ουκατα επιταγην λεγω, quod diser-
te Paulus opponit errori illorum, qui Plato-
nicam communionem in Euangelio afferru-
putabant. Volo inquit, vobis liberum esse
modum donanda Eleemosynæ. Insulse verò
à non precepto, ad precepta opera dictum il-
lud transfertur. Audi aliud Sophisma im-
pudentius scriptum. Quidam, ut το παν-
τοχς defendant, iam fingunt duplicem
Idiomatum Communicationem, alteram Phy-
sicam, alteram Dialecticam. Has ineptias in
responsionis editione de Bauaricis Articulis,
que iam integra prodibit, taxabo. Profecto
nisi Deus petulantiam Sophistarum compes-
cet, secutura est horribilis confusio doctrina-
rum. Tenentur adhuc captiui Victorinus &
Andreas. Nescio quid addam. Iudicium tu-
um flagito de voluntate humana, probes ne
formam illam explicationis, quam scripsi in
Responsione Bauarica. Bene vale. & respon-
de. Die Iacobi.

Philippus Melanthon.

S. D. Si tantum possem fundere lachry-
marum, quantum & Albis noster, & Vi-
surgis vester undarum vehunt: tamen ex-
hauriri

hauriri meus dolor non posset, quem multos
iam annos circumfero in animo propter dis-
sidium regi δ'εἰπνοῦ, de quo manifesta est
antiquitatis sententia. Utinam in rei tantæ
explicatione dexteritas in iudicandis veterū
sententijs potius adhibita esset, quàm conten-
tionis asperitas. Si pax fuisset, potuissent plu-
res colloqui, & cōmunicato consilio huic malo
mederi. Sed arma impediunt salutare deli-
berationes. Tibi consilium do, ut potius ist-
hinc discedas, quàm ut hoc tempore turbu-
lento cum collegis rixeris. Ego sæpè cum do-
ctis & pijs de hoc negotio collocutus sum, &
spero, Deum aliquando daturum esse occasio-
nem, ut inter pios concordia de eare consti-
tui possit. Nunc verò belli tempore quid fie-
ri potest? Hoc dissidio repressus est Euangelij
cursus, & confirmata potentia aduersariorū
ac audacia. Utinam cum Iacobo istic coràm
loqui posses. Benè & feliciter vale. Die
6. Feb.

Philippus

S. D. REVERENDÆ VIR, & cariss.
frater. Etsi Lipsia rursus decreui scribere, ta-
men hanc Epistolam dedi tuo civi, antequam
Lipsiam iret. Consilium de profectioe ad
Academiam

Academiam & Aulam mea Patria inutile
videtur. Non enim arbitror tam diu ibi mā-
surum esse istum Thrasonem, donec eò ve-
nias. Nec si ibi esset, commissurum esse Prin-
cipem Electorem Theologicam disputatio-
nem, qua tumultus in populo excitatura es-
set. Mihi Academia nota est. Sunt ibi docti
& boni viri aliquot, qui te amanter exci-
perent. Sed populi voluntates alienae sunt.
Et in noua gubernatione Princeps, Medico-
rum doctrinam sequitur, qua iubet ^{omni} ut
xixv. Vbi ad vos Thrasa redierit, & prouo-
cabit te ad disputationem: respondebis, te non
fugere placidā collationē. Sed velle te adhiberi
iudices. Si procedat ad fulorē Anathematis, ut
fecit in Academia mea patriae, oppones iustis-
simam responsionem, quod sine causa cog-
nitione iniustum sit ferre sententiam. Si-
mul autem vellem te collegio vestro exhibe-
re non disputationem, sed tantum collecti-
onem veterum testimoniorum, Augustini,
Ambrosij, Prosperi, Tertulliani. Et Gre-
corum: Theodoreti, Macarij, Basilij, Na-
zianzeni, Dionysij, Origenis, Clemen-
tis. Ex his ostendas Papisticum dogma no-
uum esse. Non fuit autem nouum dogma in-
uehendum

uehendum in Ecclesiam, & noua adoratio
instituenda. Hæc testimoniorum commemo-
ratio plus prodest argumentis. Testimonia,
quæ illi pro ἀετολατρεία citant, noua sunt aut
supposititia. Decreui, & ego colligere vetu-
stiora testimonia. Benè vale. Calend. Iann.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. REVERENDE vir, & carissi-
sater. Nihil habeo, quod scribam, nisi ver-
sum antea ad te perscriptum: Pellitur è me-
dio sapientia, vi geritur res. Sed addo: Frau-
dibus etiam præsidia queruntur. Audio hoc
agi, ut Westphalus fiat Lector in Academia
Heidelbergensi, quod eò moluntur quidam, ut
sit magnanimus ibi defensor τῆς ἀετολατρείας.
Is scripsit etiã ad Erphordiensem cōcionatorẽ,
ut mihi bellum inferat de hac propositione:
Nihil habere rationẽ Sacramenti extra usum
institutũ. Non defugio certamen, & pericu-
lum. Sed τῷ ἀμυνόμενῳ βέλτιον ἔβεται. Et
oro filium Dei ut hos ingentes fluctus se-
dare velit, & nos regere. Contentionem &
necessariam & profuturam esse iudico. Teq̃
oro ut non properes. Benè & feliciter vale.

30. Iunij.

Philippus
Eidem.

Eidem.
S. D. R E V E R E N D E vir & cariss.
frater. Aliquanto minus deformis est Eccle-
sia, donec multi nostri ordinis inter se &
sententijs & voluntatibus congruunt. Tucri
igitur nostram amicitiam studebo. Et cum
maximè avidus sim tui colloquij, quàm pri-
mum noua mihi exilia suscipienda erunt, ad
te accedam. Nam isti noui liberatores orbis
terrarum ita liberant Germaniã, ut maior sit
metuenda vastitas. Nec obscurum est, qui
fuerint tube horum tumultuum. Sed Deo
Ecclesiã & vos commendo. Osiandro latine
respondeo. Quod velles me περι ἀστολατρείας
scribere, tecum prius deliberare volo. Scis
autem, à quibus explicatio impediatur. Et
dat pœnas totum genus humanum prophã-
nationis. Sed dolore impediior, quo minus
prolixè de hac re scribere possim. Bene vale,
& rescribe. Medmanno mitte Epistolam ad
ipsum scriptam, cui nuper nihil literarum
misi, quia cogit abã eum in castris esse. 3. Iulij.

Philippus.

Eidem.
S. D. R E V E R E N D E vir, & cariss. frater.
Non si tantum fundere lachymarum possem,
quantum

Eidem.

S. D. REVERENDE vir & cariss.
frater. Non si tantum fundere lachrymarum
posse, quantum voluit undarum aut hic noster Al-
bis, aut Visurgis vester istic, exhauriri meus
dolor posset, quem circumfero iam multos
annos propter dissidium de re maxima, de
qua scribis. Nec dubitatione crucior, cum
Antiquitatis sententia sit manifesta: Sed
dolore ingenti excrucior, quod multi tantum
ex consuetudine iudicant, nec inquirunt,
quid vetus Ecclesia senserit, Sed notha testi-
monia, & sparsa mirabilibus imposturis ar-
ripiunt. In Theophylacto Oecolampadius ver-
tit, quod in suo codice inuenit, cum senten-
tiam tamen nequaquam probaret. At in no-
stro codice non erant illa verba de transele-
mentatione. Possem multa recitare de vete-
rum dictis, quia diligenter inquisivi utriusque
partis testimonia. Quoties vidi gemitus pio-
rum & doctorum, qui dolebant multa magna ma-
la stabiliri confirmato neruo de illa conuer-
sione. Et nunc nostri vicini vociferantur de
linea veste. De hac tanta re confirmant er-
rores & armant Papistas. Malim de his re-
bus coram tecum loqui. Te adhortor, ne ani-

E

WVWV

mum tuum dubitatione crucies, ac libenter
plura tecum differam. De descensu ad inferos
oravi utrosq^{ue}, ne in publicis concionibus cer-
tamina mouerent. Retineri articulus potest,
etiamsi non omnes gradus ingentium doloris
Christi intelligimus de quibus illi disputant.
Certè sic fuit apud inferos, ut victor. Credo
repressam esse Diabolorum potentiam singu-
lari modo. Et mortui multi exuscitati sunt,
& Christus docuit exuscitados perspicuam
doctrinam de Messia. Non est necesse plura
queri. Scribam alias copiosius, teq^{ue} oro, ut
quàmprimum mihi significes, an hanc Epi-
stolam acceperis.

Post Scripta.

Heri allatae mihi sunt literae à Francisco
Dryandro qui nunc Argentorati est cum fa-
milia. Conuentus Augustanus fortassis edi-
cta parat, quae mandabunt nobis: Veteres
migrate Coloni. Deum oro, ut nos regat, &
seruet aliqua doctrinae hospitia. Bene vale
& rescribe cariss. frater. Prid. Iacobi.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & cariss. frater.
Dedi tabellario vestro ante paucos dies breuē
Epistolam

Epistolam, in qua significavi, querelas huc
scriptas esse, πρὸς δεῖσιν κληρικῶν ad Pastorem
nostrum. Ea de re arbitror nunc respondere
Pastorem. Hac te scire utile est, ut concor-
diam urbis vestre facilius retinere possis.
Disputāt Nestorianos esse, qui non fateantur
τὸ ὁμοῦ παύταχου καὶ καὶ. Hoc ne Papistæ qui-
dem unquam dixerunt. Utinam docti aliqui
colloqui possent. Sed omnem colloquendi fa-
cultatem sustulerunt, illi ipsi libertatis vin-
dices se esse gloriantur. Quæso ut Petro
aliquid des literarum de hoc negocio. Bene
vale. Cal. Septemb.

Philippus.

Eidem.

S. D. R E V E R E N D E vir, & carissi-
me frater. De itinere tuo & Herberti valde
soliciti fuimus propter latrunculos, qui pas-
sim vagantur. Sed simul cogitavimus dictum
Psalmi: Circumvallat Angelus domini ti-
mentes eum, ac vidimus multa exempla ma-
nifestæ protectionis diuine his annis. Gra-
tis igitur pectoribus celebramus Deum ego
& alij: omnes hic, quod vos Bremam redux-
it. De alijs rebus plura per tabellarium Pe-
trū scribam, qui post biduū iter ingredietur.

E 2

De

De quaestione, quam Lascius mouet, scripsit
huc ad Pastorem querelas Iohannes Amste-
rodamus. Oro te, ut quantum potes, des ope-
ram, ne in urbe vestra certamina mouean-
tur. Utinam de usu Cæne populus diligen-
ter doceatur. Extra usum nihil habet ratio-
nem Sacramenti. Et in vero usu certissimum
est, adesse filium Dei, & efficacem esse in ve-
ra consolatione, qui inquit. Ego in eis. Scri-
bam ad Amsterdammum, ne certamina moue-
at. Tu quoque tua prudentia & moderatione,
quantum fieri potest, Deo iuuante, tranquil-
litatem urbis tuearis. Bene vale. Die 29.
Augusti.

Philippus.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & cariss.
frater. Etsi magis ad nos pertinet cura de
dogmatum controuersis, tamen & Panno-
nica bella omnes scire refert, ac ut sunt
πολλὰ πολέμου κενά, Existimo varias fabu-
las ad vos perferri. Sed scito duos exercitus
Ferdinandi in Hungaria esse. Alter in Ze-
pusio est, ut recuperet Transyluaniam, quam
occuparunt duces Fily Ioannis, tradendā
heredi, filio Ioannis. Ibi recens ex nostris
quin-

quingenti milites interfecti sunt, & erepta
nostris machina. Hic utrinque res geritur per
eos, qui Christiani nominantur. Alter exer-
citus ducitur à filio regis Ferdinandi, Ferdi-
nando, versus Budam, contra Turcos. Hic
exercitus Archiducis Ferdinandi adhuc Dei
beneficio incolumis est, & recens duas arces
occupavit. In altera vi capta trucidati sunt
600. Turce. Nec usque ad initium Octobris
alia digna fide ad me perscripta sunt. In
Hungaria recens noctibus 17. continuis con-
specta sunt duæ stelle inter se dimicantes:
altera Orientalis, altera ab occasu volitans.
Tandem vicit orientalis & progressa est ad Me-
ridiem. In Polonia & in Pannonia adeo
crescunt certamina πεισι τῆς ἀγτολατρεϊδς, ut
necessesit pios & doctos communi delibe-
ratione consilia querere sanandis aliquorum
animis. Bene vale & rescribe. 13. Octob.
Philippus.

Eidem.

S. D. R E V E R E N D E vir & cariss.
frater. Plurimum prodesset, me iam scire
sermone Comitum cum duobus Principibus, ut
scis. Iam enim constitutum est, ut conveni-
ant multarum Ecclesiarum doctores in oppida

E 3

Phorcez.

Phorcensi & Principes multi conuenient ibi
ad sacrum nuptiale Marchionis Badensis
Caroli. Ibi deliberatio erit de VVimariensi
scripto. Nostri neminem mittunt. Et sua-
debo, ne quid ibi disputetur, & ne noua cer-
tamina accendantur. Miror cur in sacro
nuptiali hac agi uelint, cum profecto res tan-
ta subito agi non possint. Ego ad illum Phor-
censem conuentum me non mitti gaudeo, &
existimo certo consilio me non mitti. Oro De-
um, ut liberet me ex Sophistica horum tem-
porum. Licentia queritur à vulgo, & præ-
stigijs Sophismatum confirmantur vulgi cu-
piditates & ἀστολ. ἀπειρία. Editum est scrip-
tum Hildesheimense, cuius architectum esse
Mörlinum audio, ubi etiam insertæ sunt
suggillationes. Sed sine nomine. Oro filium
Dei, ut nos gubernet. Bene vale & rescri-
be. Die 18. Septemb. Philippus.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & cariss.
frater. Scripsi tibi in proximis literis, quas
tradidi familie Doctoris Frisij ad Comitam
Christophorum proficiscentis: iam in vici-
nia vestra factum esse πρὸς βούλευμα conuen-
tus Theologici, quod damnari iubet eos, qui

notis

non probant τὴν ἀστολατρείαν. Nec additur,
quomodo ea de re doceri velint. Existimo
autem Principes illos, ad quos missum est,
flagitatuos esse, ut audiantur exules docti
& honesti, qui sunt Francofordia & Ar-
gentorati. In eo certamine te adesse velim.
Et ut ad id tempus differas consiliatua, te
adhortor. Vides quanto furore hanc postremā
mundi εἰδωλομανίαν hostes filij Dei tuean-
tur, de qua cum magno dolore quotidie cogi-
to, & filium Dei oro, ut ipse opem ferat ele-
ctis, & nervos εἰδωλομανίας ex illo cetu
qui veritatis studium habet, auferat. Nam
profecto non humanis consilijs reprimi Dia-
boli potentia potest: ac gemitus piorum spero
non fore irritos. Benè & feliciter vale. Die
20. Iunii. Philippus Melanthon.

Idem.

S. D. REVERENDE vir, & carissi-
me frater. Et Hugonis, & Paschasy &
Vigilij Martyris, & Longobardi expressa
testimonia sunt de loco corporis. Sed hac etas
quàm sit audax, & quàm reuerenter de vera
antiquitate Ecclesiae senseat, res ostēdit. Nunc
vicini nostri ituri ad conuentum Ratisbonen-
sem, fecerunt προβῆλαινα, ut veteres nomina-
bant se damnatuos esse eos, qui non probant,

E 4

Stoicam

Stoicam necessitatem: Item τὴν ἀγὸς ἀατρεΐαν.
Quid agi recte potest, cum talia praeiudicia
adferuntur? Si procedet colloquium, te certe
vocari petam. Oro autem filium Dei, ut nos
gubernet, & illustret ipse veritatem & ve-
ram inuocationem. Nouum certamen mo-
uet Praga Cynicus, qui Canisus nominatur,
de Inuocatione Mediatoris, de qua aliquid
dixi in Pagellis, quas mitto. Bene vale. Die
17. Iunij. Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. Non sum oblitus nostrae consuetu-
dinis atq; amicitiae, teq; absentem & amo &
saepe mente requiro. Tibi quoq; eam tribuo
constantiam, ut statuam adhuc me abs te di-
ligi. Oro autem te, ut scribas nobis aliquan-
do de omnibus rebus tuis. Etsi atrociam edicta
contra nos nominatim proposita sunt: ta-
men Deum aeternum patrem Domini no-
stri Iesu Christi spero protecturum esse suas
Ecclesias, in quibus tua voce & similitum so-
nat Euangelium. Hunc Iuuenem Matthiam,
quaeſo ut in aliqua Schola colloces. Exulat
propter Euangelij amorem, & potest seruire
Ecclesijs. Ideo dignus est, quem iuuenimus.
Bene vale. Die 14. Maij. Philip. Melan.

Philippus Melanthon. D. Nicolao
Buscodicensi.

S. D. Carissime D. Nicolae. Non sum
Stoicus: & aliquāto fortius cum Stoica secta
bellum gero, quā nostrī Duces ad Danubi-
um & Albim bellum gesserunt. Quare non
fatali necessitate nos in has miseras incidis-
se iudico: sed plecti nos statuo, propter mul-
ta ἐκβῆρα delicta. Cumularunt sibi pericula
nostrī prīcipes λογί τε πορίσασθαι.
& auxerūt odia multa nō necessarijs θορύβοις.
Nacti igitur occasionem inimici, simul & ip-
sos & veritatem opprimere conantur. Nam
post hoc bellum sequentur edicta, ut Synodi
sententiae recipiantur, & aliqui recipient.
Nec nulla sunt peccata populi & docentium,
quae irritarunt iram Dei. Quare veris gemitibus
petamus à Deo veniam, & mitigationem
publicarum & priuatarum arumnarū.
Hispani milites Ecclesiarum pastores inter-
fecerunt in vicinia Vittebergæ: & in his
sanctum senem pastorem Ecclesiae Kember-
gensis, primum maritum. Nec verò dubito
Deum vindicem sanguinis sanctorum sacer-
dotum, puniturum esse Hispanorum crudeli-
tatem,

E 5

tatem,

tatem, & facturum conuersionem horum
tumultuum mirandam. Commendo tibi has
adolescentes Tilemannum & Henricum.
Tilemannus metuit fore, ut parentes eum
auellant à literis. Tua igitur autoritate per-
ficiet, ut rursus in Academiam aliquam mit-
tatur, Louaniensem, aut Heidelbergensem,
ubi Micillus docet & doctrina Ecclesie rectè
traditur. Bene vale. 10 Maij. Anno 1547.

REVERENDO VIRO ERV-
DITIONE ET VIRTUTE PRÆ-
stanti D. Alberto Hardebergio, Do-
ctori Theologiæ fideliter docenti Euange-
lium in Ecclesia Bremensi, fratri
suo carissimo.

S. D. Carissime frater: Cum esset initio
magna opinionū confusio, & Augusta An-
no 1530. Confessio exhibenda esset, nemo
complecti integrum doctrina corpus voluit.
Ego magno cum periculo complexus sum ac
tot iam annos laboro, ut extet summa do-
ctrinae propriè explicata. Idem ago in hac
symboli Niceni enarratione, ut posteritas
habeat integram Ecclesie doctrinam. Mitto
autem tibi, ut sapienti censori, liberè verè,
dextrè

dextrè iudicanti. Nec curo vel odia Tyrannorum, vel Sycophantarum rabiem. Quaeso ut legas, & iudicium mihi tuum significes. Mittas quaeso in Britanniam literas & pagellas Cantuariensi inscriptas. Bene vale.
28. Maij. 1550. Philippus Melanthon.

Inclyto Comiti & tuis collegis salutem opto. Item seni optimo Nicolao Buscod. & Petro Medmanno.

REVERENDISSIMO DOMINO Archiepiscopo Ecclesiae Cantuariensis, eruditione & vera pietate prestantissimo Patrono suo reuerenter colendo.

REVERENDISSIME Domine. Et Epistolam & libros quos misisti, reddidit mihi Germanicus adolescens, ex Anglia in Patriam rediens, mense Maio. Legi certamen, & doleo eos, qui quaerunt vetera testimonia, non velle perspicuitatem eorum agnoscere. Nec verò dubium est, quid sani res in veteri Ecclesia senserint. Sed imposturas audi. Multis libris
novae

noua & notha sententiae assuta sunt. Id in
Theophylacto accidisse certum est. Nam quod
Oecolampadius in suo codice (cum quidem
rem non probaret) sed vertit tamen: Id in
nostro codice prorsus deerat. Idem accidit in
Bede libris, quos tamen arbitror apud vos
inueniri incorruptiores. Mitto vobis partem
enarrationis Symboli Niceni, & mitto tan-
quam censoribus, tibi, Laszio, Bucero, Pe-
tro Martyri, & alijs doctis & candidis. Be-
nè vale. 28. Maij. 1550.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. REVERENDI VIR, & cariss.
frater. Tuam Epistolam de pastore Stadiana
Ecclesiae scriptam accepi post Lipsici Mercatus
finem: ac statim Henrico Buscoducensi ostendi. Is
narrabat eum Brabantum, qui adhuc adest, a te
non gubernasse Ecclesiam, & à tam difficili
gubernatione abhorrere. Alter in Prussiam
profectus est. Cum de alio deliberarem, cen-
suimus hunc honestum & doctum virum
ad te mittendum esse, Ioachimum Neuman
Vismariensem quem iudicamus idoneum
esse ad gubernationem frequentioris Ecclesiae
propter multas eximias dotes. Magno in ea
est

est moderatio in omnibus actionibus, & mo-
res sunt casti & sancti. Est enim Paterfa-
miliæ, & hic specimen præbuit eruditionis
& integritatis. Docuit alios fideliter, &
paupertatem modeste tulit. Eruditio est exi-
mia, & prudentia & facundia ornare mi-
nisterium poterit. Scio te censorem ingenio-
rum non hebetem, probaturum esse hunc vi-
rum, ubi aliquot dierum consuetudine natu-
ram, mores, iudicij gravitatem consideraue-
ris. Quare te valde oro, ut hunc Ioachimum
senatui Stadensi diligenter commendes. Si
quid iudicare possum, in hoc viro commen-
dando profecto non erramus. Itaq; & Eccle-
siæ bene consules, & honesto & docto viro
benefacies, si autoritate tua impetrabis, ut
Stadensis senatus hunc Ioachimum in deli-
gendo Pastore alijs anteferat. Donec possu-
mus, & Ecclesias foueamus, & tales viros
tueamur, quorum agmen verè est exercitus
Christi. Minus deformis est Ecclesia, donec
aliquos habet tales pastores, & quidem con-
cordes, qui eam ornant eruditione, sanita-
te iudicij, bonis exemplis, & vera pietate.
Benè vale. Cal. Maij 1551.

Philippus Melanthon.

Eidem.

Eidem.

S. D. R E V E R E N D E vir & carissime
frater. Est omnino egregia virtus, & adfi-
ci amicorum ærumnis, & portum eis osten-
dere. Tu cum utrumq; facias, tua virtus
laude digna est, & Deum oro, ut vicis-
sim tibi beneficiat. Sicut scriptum est:
Beatus qui intelligit super egenum & pau-
perem. In die mala liberabit eum Dominus.
Scias autem Dei beneficio me tranquillo ani-
mo esse. Tecum vivere cuperem, ut haberem
cum quo colloqui & deliberare de magnis
rebus possem. Nunc enim mortuo Principe
Georgio Ascanio, magis etiam sum solus,
quàm fui antea. Et fortassis bella harum re-
gionum præbeunt mihi causam migrationis,
etsi non minus rabiem ingeniorum, quàm
bella fugere cupio. Mitto tibi pagellas de Me-
diatore. Prior pars manifesta est, & tamen
in aula Marchica libellus circumfertur, con-
tra hanc simplicissimam & verissimam par-
tem scriptus. Valde autem te oro, ut de utraq;
parte tuum mihi iudicium significes. Nunc
Senatus Augustanus misit mihi Stenckfeldij
scripta, & flagitat refutationem, quam tibi
mittam. De multis magnis rebus tecum col-
loqui cupio, & Deo iuvante colloquar, quas
non

non possum in Epistola complecti. Anglica
Ilias sanè miserabilis est, si quid scis de Can-
tuariensi & Lasccio, significa. Nam ego au-
dio Lasccio ademtam esse gubernationē. Do-
leo & optimum adolescentem regem crude-
liter fraude suorum necatum esse, Ecclesiā &
ibi hoc tāto vulnere accepto rursus dissipari.
Benè & feliciter vale. Prid. Cal. No. 1551.
Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & cariss. frater.
Nomen Stancarite audisse opinor. Italus est
& linguam Ebream præclare didicit: aliarū
literarum atq; artium rudis est: & natura
contentiosa & cauillatrix est ac stolidissime
defedit τὴν ἀστολατρείαν. Is gloriatur se colle-
gisse aliquot centurias errorū in meis scrip-
tis. Cū proferet iudicabunt eruditi. Nam
ego nondū scio, quid reprehendat. Tantūm
hac de re iam vociferatur. Non vult dici
Christum Mediatorem secundū diuinam na-
turam & humanā. Sed contendit Mediato-
rem esse tantum secundū naturam humanā.
Scis in 3. lib. sentent. distinct. 19. hac de re
disputari. Quæso significes mihi tuas cogita-
tiones. Vetustas quomodo locuta sit non ig-
noras. Apud Epiphaniū est illustris locus
pagina 488. in græco textu. Conci-

Concinit huic sermōni sanctus Apo-
stolus Paulus dicens: Unus Deus, unus etiam
mediator Dei & hominum, homo Iesus
Christus. Qui non rapinam arbitratus est
esse, quod esset equalis Deo, sed seipsum ina-
niuit, forma serui assumpta. Vides quod ho-
minem ipsum pronūciavit, sed non nudum.
Mediator enim Dei & hominum est, quoni-
am in medio utrorumque est, ad Patrem
quidem suum Deus existens natura genui-
nus, genitus: ad homines vero homo natu-
ralis, genuinus, ex Maria citra semen viri
genitus. Sic enim est mediator Dei & homi-
num, Deus existens & homo factus, non
mutatus naturam, sed secundum utraque ad
ambo medius existens.

Nec vero in his suffragationibus tantum
acquiesco. Sed fundamenta considero: Media-
tor est & Deus & homo, & ut possit susti-
nere poenam, & vincat, & sit equalens
precium. Et sic inuocamus Christum Media-
torem. Et suffragatur nobis Epistola ad
Ebreos. Peto ut rescribis. De vaticinio quod
meo nomine circumferri scribis, nisi & vani-
tatem eorum qui spargunt: & credulitatem
eorum, qui has nugas audiunt. Genus ser-
monis

monis testatur illam predictionem, quam mi-
sisti, à me non esse scriptam. Sed aliam me
scripsisse multi norunt, in qua predixi non
fore diuturnum fœdus gallicum: Id euentus
comprobavit. Scis me abesse à bellorum consi-
lijs: Quanquam enim scio; aliqua esse iusta
bella: tamen quales habeamus Duces & Mi-
lites experti sumus. Oro filium Dei ut Ecclē-
siam suam regat & protegat. Bene vale.
die Brumæ, Torgæ. Salutem opto nobis om-
nibus Medmanno & Nicolao, & alijs ami-
cis.

Philippus.

Cogita.

Filius Dei λόγος dicitur, quia sic patefac-
tus est, quod in creatione per eum ut λόγος
res conditæ sunt; & in reconciliatione per
eum patefactum est decretum redemptionis
& restitutionis. Sed est imago totius patris.
Non sunt autem imago integra patris illa
decreta creationis & redemptionis. Item cū
liberrime cōditum & receptum sit genus hu-
manum, non satis est docere, filium esse illa
decreta, quia filium esse semper, necessarium
est. Item, usitatè dicitur: simul esse personas
tres in sanctis. Quærò quò ordine? Augu-
stinus ait; Quotidiè mitti filium in corda
F. sanctorum.

Sanctorum. Sunt ne filij & spiritus sancti distincta officia? Aliquid de hac re, in primo sentent: distinct. 15. dicitur. Et Athanasius expresse ait: Quoties dicitur in aliquo esse Spiritus sanctus, intelligitur & ibi esse verbum, per quod datur Sp. S. Et de persona loquitur, non tantum de dono. Stancarus in Academia Francfordiana mouit certamen, & contendit Christum tantum esse mediatorē iuxta humanam naturam. Etsi sunt quedam talia dicta in Longobardo, tamen nos pronunciamus, tres esse gradus Idiomatum: Quedam soli nature diuine competunt, ut non mori: Quedam soli humane, ut posse mori, lacerari. Quedam toti persone, ut esse mediatorem & sacerdotem. Mediator autem esse non posset, si homo tantum esset. Quia mediatorem oportet talem esse, qui exaudiat, videat corda, Patris & nostra. Quæso cogites & rescribas.

Eidem.

S. D. REVERENDE VIR, & cariss. frater.
Si una communis legatio, nomine omnium Ecclesiarum aut certè plurimarum, que puriorem doctrinam profitentur, missa fuisset, ut
ante

ante annum suadebā, nec labores nec periculū
la, nec calumnias metuissem. Sed cum nos
soli mitteremur, secutura erant noua repre-
hensiones. Quare sparsa belli fama, seu mo-
to potius bello regressus sum ex itinere. Nec
huius mei reditus reprehensiones curo. A bellū
cōsilijs prorsus alienus sum, nec quid agatur
scio. Nunc aiunt cinctā esse obsidione Vlmam.
Accepi recentes litteras a Francisco Dryan-
dro, qui narrat Argentinā tunc quidem nō-
dum a fœderatis sollicitatam fuisse, ut se eis
adiungeret. Studia doctrinae Dei beneficio
hic adhuc mediocria sunt, & oro Deum, ut
harum Regionum tranquillitas diuturna sit,
utinam & Principes de communi defensione
Patriae aduersus Turcicam tyrannidem co-
gitarent. Certum est enim maiores exer-
citus Turcicos & Tartaricos adduci in Pan-
noniam, quā vlli Turcici antea adducti
sunt. Nos assiduis votis & gemitibus Ec-
clesiam filio Dei commendemus, quem sci-
mus ideo humanam naturam adsumpsisse,
ut ipse nos sustentet & seruet. Oslander
nouos Libros contra me edit, quos non-
dum vidi, cum quidem nemo ei respon-
derit mollius, quā ego. Tuum iudicium

F. 2.

etiam

etiam audire cupio.

Bené vale. Cal. Maij.

1552.

Philippus Melanthon.

Exemplum Epistolæ ad Iohannem

Amsterodamum missum, à Philippo

D. Alberto Hard.

S. D. REVERENDE vir & amice
carissime. Sæpe intuens hunc Albim nostrum
cogito: Non si tantum funderem lachryma-
rum, quantum hic fluuius undarum vehit,
exhauriri meum dolorem posse, quem multis
annis circumfero propter dissidium de Cœna
Domini, in quo tam multa disputantur ex-
tra causam. In usu verè & substantiali-
ter adest Christus, & est efficax in vera con-
solatione. Cur mouentur disputationes de
inclusionem extra usum? Doceo eadem, quæ le-
guntur in meis scriptis. Et in eam sententi-
am facta fuit formula concordie ante annos
sedecim inter Lutherum & multos, qui ex 20.
Ecclesijs superioris Germaniæ huc aduene-
rant: Deum oro, ut nos omnes gubernet.

Bené vale.

Philippus.

Reueren-

Reuerendissimo Domino Archiepiscopo
Ecclesie Cantuariensis, sapientia & pi-
etate prestanti, Domino Thomæ, &c.
Patrono suo colendo.

S. D. REVERENDISSIME Domine Ar-
chiepiscope, Scimus utrumq; voce diuina præ-
dictum esse, & futuras esse maiores confu-
siones generis humani in hac ultima & de-
lira mundi senecta, quam fuerunt antea, &
tamē etiam inter Imperiorū ruinas filiū Dei
collecturum esse eternam Ecclesiam. Hac me
cōsolatione in his Germaniæ tumultibus sus-
tento. Comperimus hoc anno mirabiliter pro-
tectas esse Ecclesias in ea ora Pannoniæ: quā
nominant Transyluaniam. Eduxerunt Tur-
ci magnos exercitus Tartarorum. Hos in Pā-
noniam ducturus erat Walachorum tyrannus
crudelissimus. Hic in ipso apparatu tantæ ex-
peditionis à seruis propter crudelitatem inter-
fectus est. Ita dilapsa multitudo seruatæ
sunt Ecclesie Pannoniæ. De bellis Germani-
cis eò nihil scribo, quia nostræ literæ tardè ad
vos perferuntur. Interea multa fiunt magis
ἀξιόλογα, Nunc verò mitto ad R. D. T. du-
os libellos, ac oro R. D. T. ut curet exhiberi
alterum inclyto Regi, alterum eius Doctori.

F. 3.

Quoque

Quoquo autem modo de his nostrorum hominum studijs istic iudicatur: tamen mihi placet nostros honorificè ad vos scribere. Et Mathematicum studia commendari regi omnium eruditissimo honestum est. Bene & feliciter valeat R. D. T. Salutem opto illustri & reuerendo viro Ioanni à Laschy. Die 4. Iulij 1553.

R. D. T. addictus. Phillipus Melanthon.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. REVERENDE vir, & cariss. frater. Mense Martio fuit conuentus in vrbe ad Salam Naoburga, in quo Duces Saxonia omnes, Marchiones Brandenburgenses, & Landgrauij Hessiaci beneficio diuino hereditarium fœdus renouarunt. Et existimatur hæc coniunctio ad pacem harum Regionum profutura esse. Simul etiam omnes decreuerunt, se Deo iuuante retenturos esse doctrinam confessionis Augustanæ, & non recepturos corruptelas papisticas, aut alias. Hæc consilia Deus adiuet. Tibi spero hanc narrationem iucundam fore. Oro ut sis memor Ioannis Reineri Oldenburgensis, qui posset esse vsui vel in Aula, vel in Vrbe aliqua, Syndici officio,

cio. vir honestus est & modestus, & propter
prudentiã & cognitionẽ Iuris utiliter in tali
munere versari potest. Filios tres habet, &
unam filiam. Quaeso ut de eo cogites. Benè
& fœliciter vale. Prid. Cal. April. 1555
Philippus.

Eidem.

S. D. R E V E R E N D E vir, & carissime
frater. Tibi quidem gratiam habeo, quòd &
sæpe & copiose scribis, & libenter te remu-
nerarer αὐτῷ τῷ μέτρω, καὶ λόγιον, ut Hesio-
di verbis utar. Sed nunc quidem, quales ta-
bellarios habeam, nescio. Duo sunt genera
argumētorum, de quibus maxime cupio scri-
bere. Alterum περί δογματικῶν de quo, etsi tibi
penitus mens mea nota est: tamen collatio sē-
tentiarum utriq; grata esset. Alterum est de-
liberatio de dissidijs, de quibus scribis. De his
sanandis, cum nihil habeam consilij, scribere
quid possum? Et causas scis, cur illud malū sit
insanabile. Doctos colloqui necesse erat. Sub-
lata est autē omnis colloquendi facultas per
illos ipsos, qui se iactitant esse libertatis
vindices, qui tantum seruiunt aure
populari: quorum aliquos nihil dubito,
etiam

etiam ~~in~~ pugnante conscientia, nervos quos-
dam errorum stabilire. Quotidiè autem oro
filium Dei, ut ipse opem ferat Ecclesie, &
nos gubernet, & reprimat errores, Moneo
etiam dociles, ne fontibus non inquisitis con-
tentioni se admisceant. Mediocri diligentia
alias cōtrouersias euolui. De hac etiam dicā
Deo iuuante, cū edent cōtra me scripta vicini
nostri, quæ circumferunt inter se. Audio
enim velle eos contra me defendere stoicam
ἐὐσέγνη, & alia quædam mouere. Hæc cum e-
dent, iudico me Ecclesie hoc officium debere
ut respondeam. Quia in re tuis etiam consilijs
vtar. Bene vale, carissime frater. Mitto tibi
paginam, in qua sunt annotata quædam de
gentium originibus, quæ leges, ut spero, cum
voluptate. Mitto alterum exemplum Comiti
Oldenburgico. Iterum vale. 21. Iunij, 1555.
Philippus.

Rescribe an has literas & paginas Stirpis
Christi acceperis.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. REVERENDE vir & cariss. frater.
Scio te virum eruditum & sapientē multa
cogi-

cogitare de communi infirmitate generis hu-
mani, & nosse consolationum fontes, quæ
& in doctrina Ecclesiæ proponuntur, & in
aliorum sapientum sermonibus. Sed vox di-
uina in Ecclesiâ ostendit portum harum mi-
seriarum, ut de Stephano scriptum est: (Nā
hanc Epistolam dedi nuncio, die Stephani)
Ibat ouās animis & spe sua damna leuabat.
Cum igitur aliquanto post in luce clarissima
Deum & filium eius D. N. I. C. & totum
agmen cæleste visurus sis, min⁹ doleas, quòd
nunc oculi sunt hebetiores exiguo tempore.
Oro autem F. D. dominum nostrum I. C.
ut te & nos gubernet. In his Academijs stu-
dia eadem sunt doctrinarum, quæ vidisti.
Et honesti ac docti viri omnes te diligunt, et
sæpè honorificam tui mentionem faciunt.
Pagellas vobis mitto, meo more, quæ Acade-
mie studia ostendunt. Metuo nouum bellum,
de quo plura scire potes. Nam apud vos col-
ligi copias Comiti Alberto dicitur. Oro F. D.
ut nos omnes gubernet, ac protegat nos.
Benè & fœliciter vale. Die Stephani. 1555.

Philippus

Eidem.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & carissime Frater. Multi Principes petunt, ut Synodus indicatur in nostris Ecclesijs: In ea Synodo necesse est loqui & de illa controversia de qua scribis: Sed vide voluntates quorundam. Cōvenerunt in Oppido Mollen prope Lubecam Concionatores ex aliquot littoris illius urbibus, qui iam fœdus fecerunt, se non venturos esse ad eum Synodum, & de hac ipsa questione, de qua scribis, Decretum fecerunt, se defensuros esse τὸν ὑπόχρεωτικόν. De hac tota re, vel in Synodo, si procedet, vel aliàs tecum coràm loquar, quia nec literis ista committere possum, & iam alio magno labore occupatus sum in responsione adornanda de multis doctrine articulis, ad quendam potentem & bonum Principem. Benè vale.
Die Martij. 1556.

Philippus.

Dei beneficio filius cōsulis Danielis rectè valet. Tribuam ei locum in mea mensa, & studia inspiciam. Heri mihi scriptum exhibuit ut de Praeceptore deliberem.

Eidem.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & cariss.
frater. Etsi in conuentu Ratisbonensi decre-
tum est de colloquio: tamen Episcopi statim
contradixerunt, & sunt talia decreta $\chi\iota$
 $\mu\alpha\tau\alpha$ πολιτικά λόγῳ, ut nominant uterq;
Herodotus & Thucydides. Nec existimo ul-
los gubernatores istic tecum velle institui di-
sputationem. Pellitur è medio sapientia, vñ
geritur res. Oro autem filium Dei Domi-
num nostrum Ihesum Christum, ut guber-
net te & nos omnes. Si res ad disputati-
onẽ deducetur, initio erunt veterũ scriptorũ
expressa, luculenta, manifesta testimonia
proferenda, de utraq; questione $\pi\epsilon\rho\iota$ $\tau\epsilon$
 $\pi\alpha\upsilon\tau\alpha\chi\omicron\upsilon$, καὶ $\pi\epsilon\rho\iota$ $\tau\omicron\upsilon\varsigma$ $\alpha\sigma\tau\omicron\lambda\alpha\tau\omicron\upsilon\gamma\epsilon\iota\alpha\varsigma$. Ac
urgenda est regula: Nihil extra usum,
habere rationem Sacramenti. Petes autem
ut ex Academijs aliqui vocentur. Bene &
feliciter vale. In Pascale Anni. 1577.

Philippus.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & carissi-
me Frater. Crescit, ut vides, non modo
certamen,

certamen, sed etiam rabies in scriptoribus,
qui ἀστολατρεία stabiliant. Itaq; confugia-
mus ad F. D. Dominum nostrum I. C. &
petamus, ut ipse sit ἑσθέρως huius certami-
nis. Incitantur aula & gynæcea. Quare de
litteris ad Regem scribendis hoc consulo, ut
reuerenter scribas, te orare, ne Rex credat ca-
lumnijs, sed tibi alteram aurem seruet, ac pe-
tas, ut cum tanta sit ipsius autoritas, ut piam
Synodum indici curet, in qua & explicetur
tanta controuersia, & non tantum inimici
tui audiantur, sed etiam alij docti viri. Aut
si ad VVormatiense colloquium aliqui conuen-
turi sint multorum Principum Legati, seu de-
lecti ad colloquendum, mittat Rex suos ali-
quos. Quia necesse sit tunc & nostros inter
nos de hac causa conferre, cum alij aliter lo-
quantur etiam ex nostris. Talem generalem
responsionem primum mittas. Interea & con-
fessionem tuam componas, & expresse dicas,
quousq; progrediaris, quas propositiones re-
tineas, & quas non retineas, & sine rixis ad-
de aliquot illustria testimonia antiquitatis sin-
cera. Hac παράκλησις necessaria est, si res ad
disputationem deduceretur. Interea autem
velim te in concionibus non sæpe ad hanc
questi-

questionem digredi. Nescio quid præterea
moneam. Deum oro, ut nos omnes gubernet
Benè & feliciter vale. Die 9. Maij. 1557.
Philippus.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & cariss.
frater. Etsi Synodus non conuenit in Vrbe
Parthenopea, tamen odia non sunt extincta
nec sunt consumta artes inimicorum, quibus
nos opprimere conantur. Moliuntur illi non
parua. Sed nos teneamus illud Psalmi: Sileas
Deo, & ora eum. Neminè irritò, & oro fili-
um Dei, ut nos gubernet & protegat.

Senatus Noribergensis non voluit accedere
suos $\pi\rho\sigma\acute{\iota}\varsigma$ $\tau\eta\upsilon$ $\sigma\upsilon\nu\upsilon\delta\acute{o}\nu$ $\omicron\nu$. Responderunt & alij
quidam se eò non accessuros, ne nouas distra-
ctiones facerent. Macedo misit honorificū
testimoniū de Francofordianis articulis, cui
hodiè de te & me scripsi. Mitto Comiti Chri-
stophoro, tibi & Medmanno libellos $\chi\rho\sigma\omicron\nu$
 $\lambda\omicron\gamma\iota\kappa\omicron\nu\varsigma$, quorum lectiōnem non insuauem
vobis futurā esse spero. Teq; oro, ut exhiberi-
tures, & mihi rescribas. Eberus Lipsiam ex-
patiatuſ est. Possem multa scribere, sed lite-
ris non sunt committenda. Benè vale &
rescribe. Die. 16. Maij 1558.

Philippus.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & cariss. frater.
Haud dubiè citò peruagabitur Germaniam
liber editus titulo Ducis Saxonie Ioānis Fri-
derici, què teu Gorgonem & Palladis AEgi-
dem applausores ipsius multis opponēt. Au-
dio adhibitos esse, Αρχιτεκτονος τὸν Ῥάκιον,
τὸν ἑκπύριον, id est, Sarcerium & Morlinum:
Vbi legeris, queso aliquid mihi de tuo dolore
significes. Tigurinos responsuros esse arbi-
tror. Polonici conuentus acta nondum sci-
mus, de quo tibi scribam, quidquid ἀξιόλογον
habebimus. Duobus incendijs audio impedi-
tos esse congressus in eo oppido, ad quod nobi-
litas conuocata fuit. Oro F. D. ut nos guber-
net. Benè vale. Die 6. Feb. 1559.

Philippus.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & caris-
sime frater. In Mercatu Lipsico scripsi
hanc Epistolam, ut narrabit hic Cuius vester,
ubi cum interpellationes fuissent manè assi-
dua, nō potui prolixè scribere. Ea nocte quæ
secuta est letissimum diem Paschatos, ex op-
pido Iena captiui abdueti sunt Pastor Eccle-
sia

Sic Ierensis, senex tibi notus Andreas, & Vi-
ctorinus, quia non approbarunt Areopagiti-
cum librum. Gothæ his diebus auditi sunt à
Principibus, & in carcerem reducti. In Au-
gustano conuentu res eò deducetur, ut flagite-
tur Pontificia Synodus, quam nunc & Rex
Gallicus, & Burgundus petunt. De his tātis
rebus scribam plura, cum Domum rediero.
Benè vale. Die 20. Aprilis 1559.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. REVERENDE VIR, & cariss.
frater. Nondum scimus, quid de Gorgone
vicinorum Principes responderint. Solius
Macedonis responsionem vidi, quæ non est
timide scripta. Ostendit sibi non placere,
confirmari τὴν ἀστολατείαν, & supplicia pi-
orum. Sed quicquid resciscā, tibi significabo.
Nunc pagellas mitto de Bauaricis articulis, in
quibus est & questio de humana voluntate.
ubi non volui labyrinthos inextricabiles cō-
struere: sed pijs ostendi præsidia contra sauas
tentationes. Hanc verecundā et piā cōme-
morationē inimici mei atrociter rephendunt.
Sed

Sed tuum iudicium, ut mihi significes, te
valde oro, Vides quales Sophista adhibiti
sint ad illam vicinorū Gorgonem scribendā.
Sed precemur F. D. ut opem ferat suae veri-
tati. Existimo non defuturos esse, qui falsa
refutent. Comiti Christophoro & Medman-
no salutem opto, & mitto pagellas.

Bene vale & rescribe. Die 20. Martij.
1559.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & cariss.
frater. Antequam Lipsiam profectus sum;
domi ad te scripsi: Quia in mercatu maior
est negotiorum concursus. Sed tamen cum
Lipsiae ad me Cuius vester venisset, hanc Epi-
stolam priori addidi. Hic intellexi Legatos
Principum Palatinorum, Virtebergici &
Hessiaci in itinere esse petituros à nostro Ele-
ctore, ut Synodus indicatur. Quae sint illo-
rum consilia de forma synodi & gubernati-
one disputationum nondum audiui. Sed quic-
quid resciero, tibi significabo. Curabo etiam
agi apud Senatum Bremensem, ne sinant rem-
deduci ad theatricam disputationem. Plura
scribam, cum domum rediero. Bene vale ca-
riss. frater, die 5. Ian. 1560.

Phil.

Eidem.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & carissime frater. Prius, ut ratiocinor, accipies literas cui vestro datas, quam has. In illis quid mihi de theatra disputatione videatur, scripsi. Simul etiam significavi, veteris & purioris Ecclesie testimonia coniungenda esse, ad quae & ego provocavi in literis scriptis ad Ducem Wirtebergicum, qui me atrociter accusat, quod naturas in Christo dirimam. Petivi non solum, ut me prius audiat, quam condemnent, sed ut simul veterem & puriorem Ecclesiam audiat. Et maneo in hac sententia, ut non instituas publicam disputationem, nisi prius detur iudices ex Ecclesijs, quas nominare utriusque poteritis. Deinde initium facias à veteris Ecclesie testimonijs. Epistola tua, quam hic senex attulit, iracunde scripta fuit. Meam contationem seu moderationem accusas, de qua causas gravissimas scribere possem. Sed nunc solam hanc commemorabo. Oro te, veniam ut mihi des, qui solus non volui formulam de re tanta componere. Adfuit mihi & Snepius in urbe Vangionum, quod Formulam cum paucis componere volebam.

G

Totos

Totos iam viginti annos expecto exilia, prop-
terea quod ostendi me ἀστολατρεία non
probare. Cumq; videas, qualis rabies sit in
his, qui ediderunt in illo littore centurias suf-
fragiorum, existimes me contationis meae
causas habere. Impedior etiam quotidiana-
nis occupationibus, ne integrum opus institu-
am. Sed desino, & oro filium Dei, ut nos de-
ceat & gubernet. Bene vale. Die 12. Ian.
1560,

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. REVERENDUM, & cariss.
frater. Auidissimè tuas literas expecto, teque
oro, ut quoties poteris mittere, ad nos scri-
bas. Heri hìc narratum est, Tilemannum re-
diturum esse Rostochium. Mihi non videtur
verisimile. Dux Wirtebergensis misit formu-
lam περί μουσειῶν ad nostrum Principem,
in qua retinet & pingit τὸ παντάχῃ. Pe-
tuit ut exhiberetur his Academijs. Sed nō est
exhibita. Recens editae sunt veteris scripto-
ris Marcarij cōciones, in quibus pagina 382.
haec sunt verba: καὶ ὅτι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ προσ-
φέρεται ἄρτος καὶ οἶνος ἀντίτυπον τῆς Ἐσχόρας αὐτῆς
καὶ αἵματος, καὶ οἱ μεταλαμβάνοντες κα-

Ἡ φαίνουμένη ἀρετὴ πνευματικῶς τὴν ἑσθίαν
κυσίου ἐσθίουσι. Scio te libenter tam vetus
testimonium lecturum esse. Bene vale, & re-
scribe. Anno 1560. Die 9. Feb.

Philippus.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. REVERENDE vir, & carissi-
me frater. Etsi non existimo Senatum per-
missurum esse, ut theatra disputatio insti-
tuatur, tamen quidquid erit, velim te in-
promptu habere Antiquitatis eruditioris illu-
stria testimonia, & imprimis hoc urgere.
Cum novum sit Pontificium dogma pugnan-
tum puriore Antiquitate, cogitandum esse,
quid sentiendum sit. Nuper dux Wirteber-
gensis ad Electorem Saxonicum misit decre-
tum, in quo defenditur ἡ πᾶσι σαχῶσι βίωσι σῶμα.
Et subscripserunt multi Abbates. Hi nunc
sunt dogmatum Architecti. Confessionem
illius viri qui in Parlamento Lutetiae fuit,
& recens supplicio affectus est, queso ut
mitti cures. Pagellas tibi mitto. Bene & fe-
liciter vale. Die 28. Feb. 1560.

Philippus.

Eidem.

S. D. REVERENDE vir, & cariss. frater

G 2

Cum

Cum heri alteram Epistolam scripsissem,
quam nuncius affert, postridie venit huc M.
Rostochiensis Posselius vir doctus, qui mihi
narravit certo Heshusium redire ad Acade-
miam Rostochianam. Sed tamen gloriari,
se ad disputationem accessurum esse Bremam.
Cogitavi horum consiliorum Architectum
esse Morlinum, & is habet socios harum
technarum artifices. Scribam Davidi Chy-
traeo, ne instituant disputationem theatricam,
qua non paruos motus excitatura sit, si proce-
dat. Tibi etiam hortator sum, ut si te in cer-
tamen vocabunt, postules tibi quoque concedi,
ut accersas Petrum Martyrem, me, & alios
quosdam amicos. Noui genesis Morlini, &
saepè ei praedixi, eum moturum, quae sedare
non poterit. Si Senatus Bremensis & Colle-
gium vestrum permittent institui theatricam
disputationem, multi sapientes iudicabunt
eos imprudenter facere. Et hanc meam Episto-
lam potes viris cordatis in Collegio vestro
ostendere. Bene vale. Prid. Cal. Martij. 1560.

Philippus.

S. D. VENERANDE vir, & cariss. frater,
Cum Paul. iubet ορθοτομεῖν τὸν λόγον ᾧ θεῷ,
certo

certè curā proprietatis & perspicuitatis præ-
cipit. Nec me existimes sine magno dolore
& ante hoc tempus audiuisse, & nunc audi-
re multorum ἀναλογίας & enigmata
quæ verè sunt ut de Sphynge dicit Eurip.
ἀμυβοι ὦδαί, Quæro proprietatem & per-
spicuitatem, & studeo fugere ambigua. Sed
non semper respondet meo conatui euentus.
Interdum infirmitas ingenij cedit oneri: In-
terdum metu calumniarū impediior: Deniq̃
multa impediunt omnes dicentes & scriben-
tes, eos etiam qui ingenij, & eruditione ex-
cellunt. Scis de Pericle dici, solitum optare,
quoties dicturus erat, ne quod sibi verbum
excideret, quod quenquam offendere posset.
Memini Durerum pictorem, qui dicebat se
adolefcentem in pingendo amasse monstro-
sas & inusitatas figuras: Nunc senem in-
tueri naturam, & conari quantum omninò
posset eam proximè imitari, sed experiendo
se cognoscere, quàm difficile sit non aberrare
à natura. Fit hoc etiam in dicendo. Sit au-
tè & modus diligentie. Nam & illud vetus
laudatur τὸ διὰ ἀκριβῆς λογομαχίας τικτεῖ.
Quæso ut rescribas, an mea responsione tuæ
questiones

quæstioēs utcunq̄, explicata videātur. 25 Sep̄.

Responsio ad quæstiones propositas.

Exilitas disputationum de his fugienda est. Multo maiores & grauiores quæstiones sunt aliæ, de re, quid sit λόγος, An sit ὁφισάμενος ὁ μούσιος, &c: Hic sumus vigilantes, & veram inuocationem retineamus contra Samosatenum, Seruetum, Arianos, Mahometistas, contra Lituanum in Polonia, qui spargit Seruetica, cuius cum liber esset excusus Cracouiæ Rodzouilus sapienter prohibuit editionem.

De altera quæstione rectè dicitur & sine ambiguitate: Noua obedientia est effectus Dei in nobis, sicut dictum est, ὁ θεὸς ἐστὶν ὁ ἐνεργῶν, Item Ephes. 2. εἰς τὸ πρῶτον τοῦ μαθεῖν ὁ θεός, quæ preparauit, & πρῶτον αἰτίου est tota diuinitas. Agit autem Pater per Filium docentem, qui inquit: Ego sum vitis, vos palmites, & per Sp. S. accendentem corda. Ideo dicit Paulus: Fructus Spiritus sunt.

Deinde rectè dicitur: Noua obedientia est effectus fidei, etsi magis propriè dicitur effectus Dei comitans fidem, sed tamen & Paulus dicit τῆς ἐνεργουμένης διὰ ἀγάπης,
Alia


Alia forma parit disputationes: Nova
obedientia est finis fidei. De consummata
obedientia verum est. Sicut Petrus inquit,
κομιζόμενι τὸ τέλος τῆς πίστεως, Et verum
est. Ideo fide accipimus reconciliationem, ut
prorsus deleto peccato & morte simus iusti
in vita aeterna Integra iustitia, & ibi cōgru-
it argumentum. Finis est melior, quàm res
quæ antecedit finē. Habitatio melior est quàm
domus: Usus melior est, quàm materia præce-
dēs. Perfecta nouitas seu iustitia vitæ aeternæ
antecellit fidei. Sed de Inchoatiōe in hac vita
non sic loquimur. Inchoata obedientia ante-
cellit fidei. Possent hæc subtilius disputari:
sed teneamus illud vetus ἀμαθίσερον καὶ
βαφίσερον, Usus est melior, quàm materia.
Sed de efficiēte aliter dici potest. Usus non est
melior efficientec ausa, Deus est melior mun-
do. Mens Archimedis est melior, quàm machi-
na fabricata. Sed sit modus subtilitatū, &
libenter de omnibus nostris questioni-
bus aliorum piorum & erudito-
rum iudicia
audio.

~~g. 4574~~

X 2206785

Me





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
								
				